Stanislaus
Episcopus [illegible]

Varsav. Coll. Schol. Piar.: Luminare magnum suis in Dei Ecclesia, et Patria splendoribus illustre.

20

LUMINARE MAGNUM

Suis in DEI Ecclesia, & Republ. Splendoribus Illustre.

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO

D. JOANNI STANISLAO

IN MAGNA WITUICA

WITWICKI,

DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO POSNANIENSI,

Penes festiva applaudentium vota
In Solenni ad Cathedram Posnaniensem ingressu

ACCENSUM.

&


à Regio Vladislai IV. Varsaviensi Collegio Schol: Piarum.

PRÆSENTATUM.

Anno, qvo Lumen de Lumine in terris resplenduit 1688.
Die

VARSAVIÆ,
Typis Collegij Scholarum Piarum.

Perillri et Rndmo D. Joanni Kostynski Archidiacono Lowicy



Stemma gerit PETRVM Posnæ sacer indè Senatus;
Sidera WITVICII Præsulis indè micant.
Né metuas jam cymba PETRI, nec Posna procellam;
Anchora sunt Stellæ, Luna, Sagitta, tibi.



PRÆFATIO
AD ILLUSTR: & REVEREND: ANTISTITEM.

PUblicis Posnaniæ applausibus etiam Varsaviensis Siren lætiori acroamate accinere debuit. ILLUSTRIS: & REVERENDISSIME PRÆSUL. Pertinebat ad Scholas Pias, ut penes Vladislaviani Collegij Manipulum exiguam licèt facũdiæ messẽ Tibi in Augusto offerrẽt, ubi & cælestis Virgo fæcundiores soli præsentat aristas. Iamq; cõtra cõmunem parœmiam in Iagellonico Scirpo non frustra nodũ qværis, qvia invenies; nã indissolubili nexu submississimos clientum colligavit

)(affe-

affect⁹. Ad Magnũ Luminare tenuiores accedim⁹ umbræ, qvib⁹ sufficit, si in Gigantẽ staturã ad Tua extẽdamur obseqvia. Trahimur Witvicianæ Lunæ radijs, ponè cuj⁹ favorabilẽ influxũ lunaticos esse non pudet, qvi Illustrissimæ Dom⁹ Tuæ obambulent ambitũ, ad vocẽ clamantis in Joannis nomine clausam libenter casuri, ut Præsuleas plantas profunda adoratione veneremur. Lætari satis nõ possum⁹, qvòd Illustriss. Stephano Wierzbowski Fundatori nostro Gorensi munificentissimo in Cathedrã Posnaniẽsem successeris, æqvè Mæcenas noster amplissim⁹. Gentiliti⁹ hujusce Pręsulis Accipiter auri tinnitu se se prodidit in Neosolymensem Fũdationem, cõtra Saavedrę Symbolicum inventum, qvi hanc volucrem tintinnabula rostro in pedib⁹ dis-

solven-

ſolventem pinxit, cũ adjecta epigraphe: FAMA NOCET. Adæqvâſti ILLUSTRISSIME PRÆSUL omnes Tuos Anteceſſores meritorũ amplitudine; nemini illorũ cedit Tuę virtutis ſplendor, qvẽ terna jam coronat Infula, & plures favente adhuc Numine coronabunt. Qvidqvid luminis Orthodoxa fides haurire potuit ex patritia Dziwoſſorum Luna, ex Dolivitanarũ Roſarũ ternione odoris, ex Rolitarũ Vomeribꝰ fęcũditatis, totũ id in Te uno concentratũ videt. Veneramur Wyſkowieciorum, Kurniciorum, Bninſciorum, Opalenſciorum, Tomicciorum, Szołdrſciorum domeſticã Navim publicę velificãtem felicitati. Subſcribimꝰ Goſſauſciorum, Lubranſciorum Pineto, ſub cujꝰ umbra ſponſa Eccleſia ſuum reclinabat caput, qvę olim ſub

palma

palma qvievit. Dam⁹ plausũ Svãtoslais, Jastrzębeccijs, cũ suo Accipitre famã illorum ad usq; sidera portãte; Wolscijs, cũcãdido Olore svavi obstrepẽte melodia. Herburtis, Czarnkovijs, Novodworscijs, Tholibovijs vectigale debetur encomium, qvi in suæ Fasciæ periphæria totam clauserunt æternitatem. Czartorysciorum Eqves meretur verborum phaleras, qvi metam glorię sacriq; honoris Olympia egregiè decurrit. Reliqvos tacem⁹ Posnaniensi redimitos Infulâ, cũ qvib⁹ Tu gestorũ magnitudine ex æqvò decertas. Expressit hoc ipsũ Tuo Nomini tributaria pẽna, qvãvis impar capiẽdo ingenti laudũ Oceano. Tu interim leviorẽ paginã benevolo dona aspectu, æternùmq; habe.

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

Deditissimum

Collegium Varsav. Schol. Piarum.



PANEGYRICUS

MAgnis innutritæ ſplendoribus animæ, nunqvam diluculantis gloriæ crepuſculum nôrunt, imò ſemper maturum meridionalis famæ exporrigunt diem. ILLUSTRISSIME DOMINE. Nimirum generoſæ mentis eſt lucem qværere, nullaq; obſcurioris ignorantiæ offundi caligine; ut non immeritò raptus à ſole Promethei ignis adhibeatur ad informandum animâ hominis corpus, cùm ita impensè novam luminis exambiat majeſtatem. At verò umbratilis tenebrionum indoles ignavas tantùm perpetuare noctes didicit, qvia nec creperæ virtutis diluculum, multominùs meridiem novit. Illatebrata ſuæ ignaviæ ingenia prodire in apricum timent, ideòq; profundiores Trophonij antro indagant receſſus, ac ſi pulchriùs foret latebris inertem mandare animum, qvàm in publicæ lucis theatro ejusdem explorare activitatem. Feras intra ſua latentes ſpelæa dixeris, non homines, qvibus occulta umbrarum cæcitas ſapit: cùm tamen ejusmodi lepores nec Apollinis denſior lucus, nec Academi ſylva ſua occultet opacitate. Veſpertilionum eſt umbras in delicijs reponere, mállеq; unius noctis ſiparium, qvàm mille ſoles. Noctuarum hæc illecebra, atræ caligini immerſâ

merſâ

mersam tenere pupillam, cui si levius diurnæ lucis jubar se se insinuet, immane omninò parit tormentũ. Portatili clausæ domicilio testudines ignẽ fugiunt; qvasiverò testaceum illud qvod humeris gerunt sepulchrum, mortuales tantummodò umbras admittat, non aliqvalem luminis portionem. Cæcutientes talpæ terram eviscerant, improboq; labore tumescentes egerunt arenæ cumulos, ipsæ nihilominus vibrantioribus diurni planetæ radijs se se præsentare nolunt: qvod si ijsdem vel minimùm afflatæ incalescant, confestim elisos vitæ spiritus in auras effundunt. In omnibus animosi leones, in hoc tamen excordes suam fatentur pusillanimitatem, qvòd illorum magnanimitati ingens sit terriculamentum flamma, & qvibus molossorum lucta aut tygridum sævior conflictus jocularis qvidam ludus est, illos accensa fax timore consternatos triumphat. Minutiores pyraustæ inter flammarum globos deliciantur, qvia absq; luce vivere fastidiunt, in flagranti rogo cunabulis jucundior phœnici sarcophagus, qvia splendidam anhelat mortem, illustres exoptat inferias. Dulcis Phaëtonti casus, dummodò non obscurus cum Phœbo in terram defluat; & præfidenti Icaro svavis ruina, si colliqvato alarum remigio ad solis viciniam saltem non umbraticus in aqvas prolabatur. Levis Athlanti lusoriâ pilâ sphæræ cælestis pondus penes illustrissimos planetas, lacertosus enim hic portitor undiq; irradiatus supernis luminaribus, vix grandem cæli machinam sentire videtur. Clarior Scævolæ audacia, dum inter scintillantes fatalis pyræ æstus né minimũ palpitantem ambussit dexteram, qvæ si involuta umbris delituisset, né tantillam qvidem laudis portionem vendicâsset.

Et ſupremo Numini placent conſpicui fulgores, in manibus namq; ſtellas, in throno iridem oſtentat, deniq; in ſole tabernaculum ponens, ipſo oblectatur æternæ lucis candore. Unde ad Cymmeriorum tenebras damnetur neceſſe, qvem ad majora tentanda non accendit fax mentis honeſtæ, utpote mille Ætnas totidemq; Veſuvios ſuis transcendens caloribus. Tænarios incolat receſſus, qvi patitur ſuum inter ſerenæ fulgura gloriæ lippire nomen: at ille auro notandus, qvem pulcher famæ ignis adurit, & magna meritorum incendia penitiores illius tangunt medullas, ut totus exardeſcat ad ingentes conatus. Alioqvin vitam ſine luce virtutis tranſigere, idem eſt, qvod inter ferales mortuorum umbras numerari. Meliùs foret, ut vivus opacos ſepulchri ſubeat hiatus, qvem obſcurior vita delectat, Veſpillionem ſibi ipſi ante fata humando agat, qvem nec radius qvidem bonæ mentis illuſtrat. Grandis infamia, ſi ideo tenebricoſum nomen ad occaſũ declinat, ut nunqvam in oriente laudis appareat, magnum dedecus, ſi ad veſperam abjectioris ſocordiæ damnata indoles in patenti meritorum zodiaco ampliùs meridionari non cogitet. Caliginoſæ nimiùm animæ fruſtra annis annos protrudunt, dum ſinè ſplendore illuſtrioris cuiuſpiam facti vivunt ipſam uſq; caniciẽ provectæ; ut nullum in ijs reperias nitorem, niſi illum, qvem canæ ſenectutis exhibet pruina. Sed exiguus hic nitor in ejusmodi nivibus, qvia fædam vitiorum uliginẽ ſæpenumerò tegit, & qvamvis ab extra candicare videatur, turpi nihilominùs improbitatis cæno incubãs in ipſa frigidæ mortalitatis hyeme evaneſcit. Magnam certè dementiam redolet, qvale-

qvale probitatis lumen turpi extingvere inertiâ, vel gliſcentes naturæ igniculos ſupprimere, qvandoqvidem unicus etiam bonitatis radius vivaces exornat animos, qvid ſi ad ampliandam nominis claritatem plures accendantur. Deniq; Plutoni atra placeant inferorum limina, alios Deos luminoſa ſiderum delectat patria, ideoq; puduit Junonem, qvòd ſemel tantùm in nubem mutata aliqvantùm obſcurior lateret, né ab Ixione caperetur, aliàs lacteam in cælo effudit viam, qvatenus tam craſſum errorem detergeret. Neq; expedit hominis animum lucis eſſe oſorem, documento, qvòd & informes urſæ in ſplendidas abeant Cynoſuras, leones & tauri, ſolis ſtationarios ſe eſſe gaudeant, aqvatici piſces in phænomena eidem planetæ degenerent, corvi & olores ſtellarum fulgorem induant, tortuoſi demùm ſerpentes (qvi abſtruſiores amant latebras) in lucidas aſtrorum faces commigrare non dedignentur. Innubis mens ſemper virtutis exhibet ſerenum, qvod ſi adverſos difficultatum nimbos illi obtrudat ignavia, vibrantius ejusdem jubar hæc nubila perſtringit. Limpida ingenij acies diaphanam ſpeculi æmulatur claritatem, qvia refractos lucis publicæ radios ad ultimum etiam orbis cardinem projicit, né uni tantùm angulo nata eſſe videatur. Et WITWICIANI Nominis gloria longè latèq; ſuos diffundit ſplendores, ut infenſus qvoq; livor, qvi aliorum rectefacta Titanico everberat aſpectu, clauſam reſerare cogatur palpebram, thaumaturgâ tanti luminis oppreſſus majeſtate: adeòq; inſolitus hic fulgor omnium in ſe rapit oculos, ut libentiùs eidem infixi hæreant, qvàm ſi, lætiores aſtra ejaculentur

ignes

ignes. Obruit ſagaciores oculos gentilitia Tuæ glo-
riæ magnitudo, nam qvotqvot merita computârũt
Tuæ Domus Aborigines ILLUSTR: DOMINE,
vel Tu ipſe numeras cum ſuperſtite magnorum
virorum corona, tot illuſtres Pharos accendis,
qvæ ſuis facibus prælucent fluctuanti patriæ cym-
bæ, inter decumanas adverſitatum procellas, ut
coronatæ illius portum tangant feliciter carinæ.
Sed qvomodo atri literarum carbones aut nigricãs
ſepiæ fuligo tanta lumina accedere audeat? penes
qvæ & ignea Iſocratis dictio, & Periclis extin-
gverentur fulmina. Nemo tamen ſuccenſebit te-
nui noſtræ ſvadæ, qvòd præfidenti auſu adre-
pere præſumat fulgurantibus Tuæ ſtirpis radijs.
Vtiq; minutioribus trochilis ſolem aſpicere licet,
non modò præpetibus aqvilis, neq; ipſis tantùm
balænis conceſſum ſudam cæli faciem contempla-
ri, & exili uranoſcopo eadem felicitatis non de-
negatur portio. Et jam inter arctos paginæ li-
mites conſtringi patieris Tuæ Avitæ Domus de-
cora ILLUSTR: PRÆSUL, qvibus compre-
hendendis né ipſum qvidem æternitatis volumẽ
ſufficeret. Nec dubium eſt, qvin diffuſi per orbem
ſplendores, ubi chartam influxerint, lucem um-
bratico operi affundant. Et cùm tota Poſnania
denſioribus effunditur cuneis ad Tuum in ſuam
Cathedram ingreſſum, nos totidem ſiſtimus affect⁹,
qvot literarum catervas, & qvò non licet ire oculis,
itur amoribus. Invidemus avido hujus ſolennis
pompæ ſpectatori, cui Te ipſum ipſum cupido tan-
tùm ſpectare vacabit tranqvillũ vultu, ſed majeſta-
te ſerena mulcentem radios, ſubmittentemq; mo-
deſtè fortunæ vexilla ſuæ. Hoc tamen nobis ſuffi-
cit, qvòd abſentes Tuo Nomini interpretem animi
noſtri in pagina demus applauſum. SPLEN-

SPLENDOR
PATERNÆ LINEÆ
ILLUSTRISSIMI PRÆSULIS.

ARcano qvodam Divinæ mentis decreto ſtatutum eſt mortalibus magno ſangvine naſci, illi tantummodò privilegium hoc favorabile Numen conceſſit, qvem ad magna deſtinavit. Non cuibet datum ex procera conſangvinitatis arbore regalia decerpere poma, ducales efformare clavas, aut Mareſchalcales lituos: ut ſolertem exinde advertas naturæ delectum, qvæ non vulgares qværit animas ſpeciali avitæ propaginis donandas auctoramento. Pulchra hæc primi Conditoris diſpoſitio, qvòd rebus creatis inæqvalitatem aſſignaverit, ut una eminentior alterâ, aut venuſtior appareat, majores collibus montes, vaſtiora fluminibus æqvora, pulchrius argento aurum, pretioſior pyropo adamas, ſpecioſior liguſtro roſa, amæniores ſua viriditate cedri, qvàm ornus, aut pinaſter. Ea qvoq; inter patritias ſtirpes diſcretio, ut unum ſceptris & diadematibus accenſeant ſecreti qvidam aſtrorũ calculi, alterum damnent ad agrarios ligones, hunc aureo deputent portando velleri, illum verò ſimplici opilionum lanæ, hunc adaptent honorarijs Conſulum ſecuribus, illum verò abjectæ accommodent bipenni. Adeoq; paritatem in omnibus dari noluit Divini intellectus coordinatio, ſed promiſcuam parvitati magnitudinem interpolavit, deformitati venuſtatem, vilitati pretium, imæ abjectioni eminentiſſimam celſitudinẽ.

WITVI-

WITVICIANÆ Domus hæredes in altum aviti ſangvinis ideo provecti, qvia ad ſumma eosdem deſtinârunt cæli, paresq; illorum virtuti cunas effecerunt.

Wituiciorum Familia originē ducit ex Saxonia.

Vetuſtiſſima hæc Familia ab externis originatur gentibus, ſcilicet Saſſorum, ſeu Saxonum ſtemmate. diu duraturam nemo ambigat, qvia in ſaxum diriguit; nullo fatorum turbine extingvendam qvilibet non vano ominetur augurio; qvia ex tam nobili ſilice vel Mars ſuo mucrone, vel armata Pallas ſuæ haſtæ ſpiculo ignes excitabit triumphales.

Tandem ex Saxonia in Pannoniâm colonias deducit.

Inundantibus ea rerum tempeſtate Germaniam Gottis, à Luneburgo inferioris Saxoniæ civitate in Pannoniam ſuas WITVICII deduxerunt colonias. Hem qvaliter primos tantæ Proſapiæ ſplendores veluti qvadã invidia laborantes eripiebant ſibi diverſæ orbis plagæ, una alteri cedere noluit, de tam nobili theſauro tacita jurgia, & contentio exorta, qvàm Gottici belli æſtus dirimere debuit. Ita ſanè de magni momenti incolis mordicus ipſa litigare ſciunt climata, de illuſtribus viris unus cum alio ad invicem rixatur locus, & niſi opportuna temporum viciſſitudo haſce diſſenſiones componat, nulla ratione ſedantur.

Signum Dianæ Ephesinæ luna Wituicijs in Stēma abijt.

Et qvia tunc Lunemburgi Diana Epheſina colebatur (uti Strabo memorat) WITVICII indè cum alijs familijs oriundi ſignum Dianæ Lunam in ſtemma traxerunt. Egregium apprime tantæ ſtirpis inſigne, clariſſimo nimirum generi ſplendidum debebatur luminare. Inter alios millenos ſecundus cæli oculus Cynthia poſtqvam nova inclytæ Domus aſpexit decora, aſtra etiam relinqvere voluit, ut in hoc terreſtri luceret zodiaco, & libenter tunc ſerenior Phœbe ſororis titulum exuiſſet ſuo fratri in con-

temptum, ut WITVICIANÆ lucis consangvinea fuisset. Nominis illorum ethymologiã si indagare lubet, à bonis Witevice hucusq; propè Luneburgum in finibus Vestphaliæ sitis derivatur, qvæ nomenclatura ex idiomate Saxonico candidam notat sapientiam. Unde non ex vano licuit vaticinari, penes hoc ethymon nascituros nepotes, qvi ius ad sapientiam haberent. Et certè in hac Domo videre est omnigenæ eruditionis encyclopædiam, nata ad laureas capita, gravidos Minervâ vertices, pulchroq; sociatam fædere avito sangvini prudentiam. Jamq; WITVICIORUM Prosapia à Gottis in Pannonia locata, & postea Gotticæ nobilitati incorporata in castello Virovitica juncto scilicet Gottico appellativo cum Saxonico, ac tandem successu temporis septem civitatibus donata, in regno Dacorum nunc Transsylvaniæ Principatu. Nimirum pedisеqva est magnarum mentium fortuna, & qvæ apud serviles animas regnatricem dominam se esse proclamat, egregijs heroibus ancillari pro maximo reputat imperio. Turmatim ruunt in illustres viros beneficia, nunqvam illis solitarius obviat favor, sed conferto gratiarum agmine eosdem coronat. Secundæ sortes addensatis circumstant cuneis magnæ authoritatis personas, plenis effunduntur cornucopijs felicitatum examina, ut decumanos labores præmiatrice refundant benevolentiâ. Tandem ex Hungaria primi Sassorum, illustris Septapoleos colonia in Russiam comitata Colomannum Regem, qvi cum filia Ducis Poloniæ Lesci Albi Diva Salomea accepit in dotem regnum Haliciæ, alias Galliciæ, Vlodimiriensi Regi per Polonos ereptæ. Qvondam de forti egressa est dulcedo, cum

A bonis Witevice vocati Wituicij.

Merita translata florent, & apud exteros coronantur.

Primi Aborigines Wituicianæ Familiæ Regẽ Colomannũ in Russiam comitantur.

cùm lacertoſus Samſon in ore occiſi leonis dulcē reperit favum : ſed neq; Roxolano leoni deſunt melliti dulcores, qvos illuſtres Saſſorum ceræ exhibent. Non ipſe ſol in ſigno leonis ſtationarius, & lunam in leone horoſcopantem exploratrix advertet pupilla. Placuit Colomanno verſata in omnibus Saſſorum indoles, Bellonæ alumna, ideoq; per totam Pokutiam, & tractum Sanocenſem eidē latifundia conceſſit anno ſupra milleſimum qvadringenteſimo ſecundo, ubi ad flumen Swieca prima ſuæ propaginis WITVICII poſuêre fundamenta. Talis qvippe ſtatio debebatur calefactis Martiali igne pectoribus, qvæ à flamma ſuum ſortiretur nomen. Et dubium eſt, an ille fluvius ſecundum ſuam denominationem extrinſecam (candela videlicet nuncupatus) ignis an aqva fuerit? ubi penes hoſce Flaminios æſtuavit adeo, ut Auſonium Trebiam ſuis ardoribus ſuperaverit, cujus olim flamma vorax imo de gurgite tractos abſorpſit vortices, vix extincta profuſiore Romani ſangvinis diluvio. Veriùs dixerim, qvòd amnis ille feſtivos in ſuo ethymo accendit ignes tantis in Ruſſia hoſpitibus, adeòq; præſente WITVICIANA luna licuit aqvaticæ ardere candelæ. Sed jam ipſis Tuæ Familiæ præclaris primoribus vectigale debetur encomium, qvanqvam doctioris Mercurij talaria eò pertingere neqveant, qvò illorum eluctantur conatus. Qvamvis tamen tenuior ſvada geſtorum amplitudinem attollere non ſufficiat, ſatis tamen eſt, qvòd ſumma hæc nominanon deſinat unqvam ; fama per immenſum mille crepare tubis. Vetuſti loqvuntur annales Gottici ſangvinis Reges WITICIOS in Hiſpania imperâſſe, Saxones gentiles WITICIORUM in Anglia domina-

Saſſi ad Re-gnum Colomānū & ill ad bona eo dem admiſit.

Witwic flumen in Swiecā influit, & accenditur.

Saxones Poloniæ ſuis meritis externa occupant ſolia.

minatos fuiſſe, in Gallia florentes extitiſſe. Qvis tandem ambigat inclytam adeo ſtirpem in auge lucis conſiſtere, qvam tot ſereniſſimi ſplendores illuſtrant? Rara domus eſt, qvæ coronatos pariat vertices in diverſis mundi partibus regni flectẽtes habenas; rarus cujuspiam proſapiæ decor, qvi tot ſceptris ac diadematibus effulgeat. Genus Regum es ILLUSTRISSIME PRÆSUL, clara Principum propago, qvos exotica in throno adoraverunt dominia. Alij ducales mitras, Irenarcharũ lituos, ſignatorias gemmas in ſuis numerant ceris: Tu verò Regum computas ſtephanomata, aurea oſtentas vellera, ut non immeritò regina ſiderũ luna in gentilitiam Tibi commigrârit teſſeram, quæ in Hiſpania, & Britannia regnatrices animas parturivit. Sit ſanè anteambulo ſolis Phoſphorꝰ, purpuraſcens regij muricis aurora WITVICIANÆ Cynthiæ prodromam agit. Pulchrè eqvidem per coronati ſangvinis Erythræum navigatur ad aureæ felicitatis Cherſoneſum; pulchrum eſt illius ſtipitis eſſe ſurculum, in qvo regalia naſcuntur poma.

Non ſileo alijs omiſſis Generalem WITVICA, Danico, Svetico bello clariſſimum heròem,
qvem Adolphus Carolus Rex Sveonum pugna navali extinctum
magnificentiſſima honoravit ſepultura,
in hoſte etiam admiratus virtutem.
Auro imbracteatus poſt fata qvieſcat neceſſe,
cui in vita dulce ferrum fuit:
ditioris Tagi aut Hydaſpis abluendus vortice,
qvem ſuus purpuravit cruor:
gemmea pretioſi Gangis cumulandus grandine;
qvi rubentes proprij ſangvinis pyropos pro ſalute patriæ expẽdit.
Nunqvam tam pulchra corallia mare Balthicum vidit,
qvàm

qvàm ubi cruentas cordatissimi Ducis stillas suis gestavit fluctib9;
nunqvam pulchriorem in aqvis muricem observârunt verticosi gurgites,
qvàm dum sangvinolentus hic heros inter procellas erubuit.
Voluit juxta Pöetarum opinionem marmoreum æqvor
verè tunc in lapidem obrigescere,
qvatenus occiso Duci sarcophagum præbuisset.
Alia WITVICIANÆ Domus sidera cothurnatã qvidẽ exigunt eloqvẽtiã,
sed qvia erectis patritiæ lunæ cornibus satis in altum attolluntur,
humiliorem qvoq; non dedignabuntur stylum.
BASILIVS WITWICKI Princeps nobilitatis Leopoliensis
ante annos nonaginta nihil non basilicum egit.
Apud multos in facundioribus labris nascuntur pulchræ dicendi Veneres,
sed qvæ tacitæ simulationis fovent prostibulum.
Hyblas interdum ore premimus,
mellitũ tamẽ venenũ subdolæ fraudis in illo favo multos enecat.
Plurimi venustæ dictionis purpurisso adulationem pingere sciunt,
angvibus implicatum hujus Medusæ caput verborũ calamistro adornant:
verùm procul hæc à BASILIO WITWICKI censura,
utpotè qvi in rebus adversis sine fuco propinavit consilia.
Non ablusit à suo Patre Filius
Dapiferi Leopoliensis munere donatus.
Filiam reliqvit præclarum sidus Sarmatico orbi parituram,
qvæ nupta Czerniechovio, peperit matrem magni Zołkievij.
Fæcunda qvædam nubes est WITVICIANA Domus,
ex qva tot hostium fulmina erumpunt,
illustris concha, qvæ niveo erga patriã nitentes candore gẽmas progignit.
Auro tandem notandum Parentis Tui nomen
SAMVELIS WITWICKI ùmbratilis sepia in paginam effundit.
Ex Anastasia de Zorakowice natus,
viginti annis Martiale sagum portavit.
Infractum adversis animum hujusce viri illud comprobat,
qvòd sub tempus Cosatici & Scythici belli jacturam æqvanimiter tulerit
suorum suæq; consortis fratrum plusqvam tredecem,
qvi partim in acie cæsi, partim in captivitatem abducti erant:
Et hoc est magnanimitatis argumentum,
millenos mæroris ictus fortiter sustinuisse,
licet hic crudelis Sterops fatali malleo pectoris incudem qvatiat!
Deniq; illibatus erga bonum publicum candor Parentis Tui
ILLUSTRISSIME ANTISTES,
consummata in agendo prudentia, aliæq; civilioris animi dotes

sibimet ipsis luculentam texunt panegyrim,
qvamvis adscititio eloqventiæ non adumbrentur colore.
Porro ejusdem Parentis Tui Patruus
Martialium gestorum seriè pennam fatigat,
non patritio tantùm luminari præclarus,
sed etiam conjugalibus tædis cum Ducissa Czartoryska,
utrinq; concentrato splendore qvandam lucis patriam aperiens.
In ipsius cerebro sapientia suos deposuit thesauros,
qvibus aliorum ditarentur ingenia.
Adeoq; caput ejus fuit aurum optimum,
nulla formosæ falsitatis adulteratum specie.
Plerumq; acuta indoles publicam hebetat felicitatem, non acuit,
non Lydius huic auro probando, sed lapis offensionis;
ad qvem si integritas patriæ impingat, fatalem experitur scopulum.
Tui Patrui felix ingenium secundas sortes Reipublicæ parturivit,
ut ex illius capite non Minervam tantũ, sed & Fortunam nasci constaret.
Alios septem Patruos varia absumpsêre bella,
nonnullos Moschoviticus deglutijt Draco,
duos Musurmanica luna acutis confixit cornibus,
cæteros Scythica percussere fulmina:
verbo dicam ducentos numerare est WITVICIOS,
qvi circitèr qvinq; sæculis binam hecatomben patriæ litârunt.
Non domestico nata hæc nomina angulo,
semper ingredi ardebant theatrum publicæ lucis,
qvam mucronum fulgura accendunt.
Probrosum sanè insitos à natura igniculos ad patrium damnare focum,
turpe in domestico pulvere sepelire talenta.
Sedentariæ animæ ruituram fortâsse domum existimant,
si se angulares lapides eidem subducant;
colliqvandas omnino illustres ceras arbitrantur,
si publicum solem aspiciant.
Odi inertes animos, qvibus evanidum auri fulgetrum placet,
non chalybis livor, vel encaustica cataphracturæ majestas,
pantherini cultus arrident,
non tygridum, aut leopardorum exuviæ.
WITVICIIS rigidus ferri placuit horror,
tota demum vitæ clepsydra Martiali fluxit arena.
Ideòq; qvantùm alij in curulibus eminebant,
tantùm illi in cruento Bellonæ circo eminentiores habebantur.
SPLEN-

SPLENDOR
COGNATI & AGNATI SANGVINIS
ILLUSTRISSIMI PRÆSULIS.

NUllus pudor eſt, alienos mutuari ſplendores, ſi proprij ſuppetant, nulla infamia adventitijs ſtipari decoribus, ſi ſui etiam non deſint, qvibus non obſcuræ mentes clarum accendant meridiem. Diaphana ſpeculi perſpicuitas minimè indè arguitur, qvòd collectos ſolis radios ſua claudat concavitate, qvia & ex ſe ipſa ſatis habet ornamenti. Qvid obſtat ſi aurum adamantibus vel gemmis diſtingvatur? qvandoqvidem illius pulchritudo ſine adſcititijs fulgoribus ſibi ipſi ad pompam ſufficit? cur inter niveas liliorum cohortes purpuraſcens non compareat roſa; ſiqvidem abſq; argenteo vicini floris nitore ejusdem purpura in pretio? qvare candidus olor oculatis pavonum pennis ſe ſe non immiſceat; ubi ſine variegatis collateralium volucrum picturis proprio albicat candore? qvid impedit, qvòd naturalibus inſperſæ maculis tygrides inter diſcolores conſiſtant pantheras; ſi pari cum ijsdem certant elegantia? Aliud eſt emendicatis vivere ſuffragijs, ſuamq; obſcuritatem alienis deaurare luminibus. Fruſtra abjectus ſilex à pyropis vel unionibus venuſtatem commodaverit, nullo ab extrà conſpicuus ſplendore, niſi qvem è penitioribus ejusdem fibris ſcrutator chalybs excuſſerit, fruſtra limoſæ paludes à pellucida fontium cryſtallo erogent limpiditatem, cænoſæ aqvæ torpentes deſidia, in caſſum pugionibus horren-

tes cardui ſvavem violæ expetant fragrantiam, dum attrectati manibus, locò odoris, gravem morſum infigunt. Qvid prodeſt ſi infumatus Mulciber ad Sicaniæ incudis caminos ſtibio vel ceruſſâ nigricantes pingat genas? non expedit triobolaris Cerberi collo ſmaragdis incruſtatam imponere numellam, vel obryzo rigentes catenas. Denigrato Plutoni non competunt ignea Iovis fulmina, ſed atri carbones, ſerpentino criſpatam capillamento Gorgonem neqvaqvam aureus torqves, vel gemmeæ ornant inaures. Verùm illuſtribus proſapijs magnarum domorum colligatio ex æqvo competit, ut pulchræ ſuæ lucis ſereno penes aliam ſerenitatem magis pulchreſcant. Vnde non parvam luminis portionem affundi ſuæ lineæ gratulatur, qvemcunq; inter magna terrarũ ſidera fortunata inſerit cognatio, & arcto conſangvinitatis nexu cum mitrata Principũ progenie ſtabilita ligant fædera. Mare tantùm non redundat, qvamvis plurimos ſuo ſinu recipiat fluvios: at verò ſangvinis aviti Erythræum grandi erumpit eluvie, qvando cognatarum domorum flumina intra vaſtos comprehendit margines.

ET Tua Reverendiſſime PRÆSUL Cynthia
per affinitatis conſortiũ multas cõplectitur illuſtriſſimas propagines.
Ambit ſuo hemicyclo DANILOVICIORVM Lunam,
cui ſudum gloriæ ſemper arriſit.
Claudit non abſimilem teſſeram CZERNIECHOVIORVM, DUBRAVSCIORŨ,
DZIDOSZYCIORVM, KRVSIELNICIORVM, MNISCIORVM, HOSSOVSCIORVM.
Toties hic Planeta feliciter attingens creſcentem honorum, famæq; plenilunium,
unicam tantùm decreſcentis lunationem non novit,

qvia

qvia nunqvam parſimoniâ lucis laboravit.
Et Zołkieviorū Solea WITVICIANI Luminaris ingreditur ſemicirculū,
non humile ejusdem decus,
utpote Moſchovitici Draconis ſuperbum caput conterens,
inqvilinas uliginoſæ Mæotydes Lernas Tartaros inqvā conculcās.
Involat lunati arcûs medium KALINOVIORVM Sagitta,
gemino ſtellarum ſtipata ſatellitio.
Iamq; indubitatum eſt,
non atro infelicitatis carbone metam gloriæ Tibi ſignari
ILLVSTRISSIME ANTISTES,
ſed aureâ fortunæ notâ,
qvā tangat auratis cuſpidata Stellis KALINOVIÆ Domus arūdo,
ad eundē perennaturæ laudis ſcopū cum Tua collimans Sagitta.
Avita OSSOLINIORVM Aſcia huc etiam terſiſſimos refert ſplendores.
In caſſum ſuos barbaria exerat conatus,
ut WITVICIANÆ Phoebes decutiat cornua,
cui in ſuppetias accedit Illuſtriſſima Bipennis,
nullo hebetatam chalybe aciem obtrudens.
Czartorysciorvm armatus Eqves ad eadem propinqvitatis jura pertines,
non ignarus, juxta Poëtarum opinionem eqvis provehi lunarem currum.
Etiam Potocciorvm Crucē Tuæ Hecates vaſtior comprehendit capacitas,
ut oſtendat terno POTOCCIANI Stemmatis gradu
ad altiora qvæqvæ WITVICIIS dari aſcenſum.
FREDRORVM Vnicornis propiùs Tuo accedit Phaneti,
bene perſvaſus idem eſſe Dianam, qvod Luna;
ac proinde in ſinu illius omnem exuit feritatem,
adverſùs hoſtes eandem exerturus.
Influunt Bałabanorum Fluvij capaciorem WITVICIANI Aſtri ambitū,
qvod rubicundum hoſtili ſangvine majorem purpuriſſum induet,
terno hoc Rubicone miniatum.
Obſervaverint recentiores Aſtrologi in cæleſti luna maculas,
qvibus varia nomina affinxere,
iam lacum mortis vocitantes, ſtagnum glaciei, mare putredinis:
in Tua Cynthia limpidiſſima Fluminum cognatorum claritas funeſtos
adeo odit titulos,
nimirum lacteo colorata candore.
Novus hic terreſtrium planetarum concurſus,
ubi tot ſidera, qvot Proſapiæ ad Witviciorvm Lunam confluunt,
ſuamq; lucem illius maritant fulgori.

SPLENDOR MATERNÆ LINEÆ, ET CONSANGVINEARUM EIDEM DOMORū.

EXtra omnem ambigvitatis metam eſt, totum universſale ſuis conſtare partibus, & qvò plures numerantur, eò ſolidius conſtitutivum faciunt. Superbæ ædificiorum moles pulſant ſuis nubes acroterijs, ſed qvot ſaxis vel lateribus ingens hæc firmatur compages, nec Arithmetica induſtria ad calculum revocaverit, grandis orbita æternitatis tot myriades ſæculorum abſorbet, & nunqvam ſaturatur, æqvoris latifundia innumeris addenſantur guttis, elatiores arborum ſtaturæ frondibus & folijs conſtituuntur, unicum fulmen, qvàm infinitos habet atomos, qvibus coaugmentatum eſt architectante ſolis operâ, mala Punica Cerealesq; ariſtas tot grana componunt. Deniq; omnis rei perfectio ſuam habet ex qva coagulatur partialitatem. Et Tuæ Domus Illuſtriſſima compages PRÆSUL Reverendiſſime ſuis gaudet partibus, qvæ ad illius conſtitutionem plenis concurrunt catervis. Alia jam cum lacte materno Te circumfluunt decora, ut non minùs è Paterna ſtirpe, qvàm ex Matris origine clariſſimꝰ habeare. Maternæ Tuæ lineæ principium fuit in Palatinatu Siradienſi Familia Dołęgorum hæredum in Roſcieſzyn & Smiłow, Kozminder appellationem nactorum. Multos Proſapia hæc illuſtres dedit viros, Arnolphum Epiſcopum Poſnanienſem, NICOLAUM LASOCKI Cardinalem, & Antiſtitē Vladiſlavienſem, Kretkovios, Narzymſcios, Sierakovios, Zaleſcios, Moſtovſcios, Kowalevſcios, aliosq; complures.

Bene

Bene eſt,

qvòd tam nobili fonte oriunda profluxerit Mater Tua

ILLVSTRISSIME PRÆSVL,

ANNA de ROSCIESZYN.

Omnis gratiarum cornucopia in illius nomen immigravit,
unam ex ternione Charitum qvilibet ſpectator credidiſſet
omnigenæq; virtutis dioptram.
Qvoniam verò freqventior docuit praxis filios matris induere naturam,
ex Tuo Divini cultûs zelo metiri poſſumus
ardentiſſimum Numinis amorem in Tuæ Genitricis pectore,
qvi magis in dies igneſcere videbatur
toto etiam Oceano minimè extingvendus.
Numeroſi orphanorum cætus ſuam inclamabant patronam,
qvæ miſerabiles pupillos veluti pupillas fovere ſcivit.
Nullus gratior fremitus inſonare poterat ejusdem auribus,
qvàm lachrymabundæ egenorum voces;
nunqvam majorem ſe dominam eſſe credidit,
qvàm ſi mendicabulorum ſtiparetur ſatellitio;
imò regnatricem ſe putabat,
qvoties conſerta miſerorum cingebatur corona.

In ROSCIESZYANA KOZMINDRORVM
Proſapia Palatinas curules Sarmaticus orbis adoravit,
documento, qvòd Abavus Parentis Tuæ

LAVRENTIVS de Roſcieſzyn KOZMINDER
Palatinum Siradiæ egerit.
Alijs frigida ex ore prodeunt conſilia,
qvia glaciali naſcuntur pectore:
ROSCIESZYI igne amoris excocta qvælibet dictio
Polonorum Qviritum mentes accendebat.
Deprædatrix illius lingva ita dextrè humanos ſenſus furabatur,
ut nemo advertere potuerit eloqventem Mercurium.
Pari certabat ingenio cum ſuo Parente Tuæ Matris Genitor

NICOLAUS ROSCIESKI
Minervæ & Gradivi alumnus,
utriusq; voto egregijs ſuis dotibus optimè reſpondebat.
Dignus eqvidem millena panegyri, cujus

 Atti-

- - - - - Attica ſvadæ
Temperies, & Sparta domi communibus æqvè
Militat obſeqvijs, & moenia duplice vallo
Conſilij, Martisq; tegit - - - -
Pulchrò ligantur fædere ſapientia, & fortitudo,
ideòq; in cardines virtutum abiuêre.
Doctior Pallas ægidem & ſcutum non refugit,
Apollo amat pharetram,
Iupiter idem caput qvod Minervam peperit, ſemel Satyri,
aliàs tauri armat cornibus,
ut non ſapiens tantùm, ſed robuſtus etiam appareat.
Hinc Rosciesżyo capite ſimul & manu plurimũ valere intra gloriã ſtetit,
qvando haſtatam phalangem Stadnicij in Moſchos duxit
proprijs viribus, maturoq; ſui judicij conſilio ſolidè innixus.
Verùm præter nativos ſplendores. ROSCIESZYANÆ Domui
cognata accedunt lumina ex avitis KRAIEVSCIORVM ceris,
Tua namq; Parens nobiliſſima Soboles
CATHARINÆ de Kraievice,
aurea illius clavi non tantùm felicitatis portam,
ſed etiam adamantinas æternitatis fores reſerare potuit.
Huc etiam MIESZKOVSCIORVM propago pertinet,
qvæ Aviam Tuæ Matris produxit,
vere magni ſangvinis Archipelagus dicenda,
in qvo tot clariſſimos anteceſſores videre eſt
domeſtica Sagitta ſepticipites Hydras configentes,
in toga labantem patriam conſilij ſuſtentantes.
Trzebicciorvm progenies ad Te ſpectat Illuſtriſſime Antistes,
Scimus enim Aviam ANDREÆ TRZEBICKI
Epiſcopi Cracovienſis maritalibus conjunctam tædis
Clementi Proavo Tuo.
Placuit nimirum Trzebicciorvm Olori innatare Tui ſangvinis Caiſtro,
qvi per tot illuſtriſſimas ſtirpes exundat ingenti eluvie.
Iterum per reciproca connubia jungitur
conſangvinitatis nexu Tuæ lineæ
IOANNES WĘZYK Archiepiſcopus Gneſnenſis,
bene Archipræſuleus ſerpens ROSCIESZYANÆ annectitur ſagittæ,
cùm & inter ſerpentes dentur jaculi, qvi cum ſagittis æqvaliter volant.
Non qvaliqvali hic angvis latet in herba, ſed in Gneſnenſibꝰ lilijs,
ore pomum deportans, ut detur pulcherrimæ,
Tuæ videlicet Parenti.

Eorun-

Eorundem ſoleæ veſtigijs agnaſcitur
IOANNES GRVSZCZYNSKI
Archiepiſcopi Gneſnenſis Roſa,
cujus odor orthodoxam recreavit Eccleſiam;
qvando graveolentes enecuit ſcarabæos,
rebelles inqvam Crucigerorum copias.
Fulgurat ſævo Martis nitore gentilitius VIEYSCIORVM Mucro, adeo;
ut colliſis adinvicem cum Solea ROSCIESZYANA ſplendoribus
Titanicos hoſtium everberet obtutus,
imò funeſtas etiam belli faces vehementioribus flabris extingvat.
Non humile accedit decus Materno Nomini
WALEVSCIORVM Columna.
Nulli unqvam viciſſitudinum turbines
triumphalem hunc coloſſum movere poterant,
cui fama ſemper vel victoria inſiſtit.
Et GEBICCIORVM Faſcia ROSCIESZIIS conſangvineo ligatur nexu,
qvæ cæleſtem imitata zodiacum, ſplendidiſſima portat ſidera.
Nobilis ſanè Tænia Archipræſuleas cruces, ſcipiones Epiſcopales
ſua claudens periphæria.
KONIECPOLSCIORVM, ZAPOLSCIORVM ſolea aſſymbolam ſibi teſſeram invenit,
ut qvæcunq; tandem fortunæ glacies calcanda obtigerit,
colligato ſtemmatum ternione facilè frangatur.
PLICHTARVM Aſinus volatico accurrit paſſu ad Tuæ domus arma,
non tardum certè mobile,
qvia Pyroëntem, vel Pegaſum ad laureas præcurrere novit.
OLEVNICCIORVM gentilitius Samſon
ad eundem affinitatis ſyllabum ſpectat,
mellea ROSCIESZYANÆ Familiæ promittens ſæcula
ex dulci favo in ore diſcerpti Leonis.
Etſi alibi columnas ædesq; Philiſtæorum ſubvertit;
Maternam Tuam Domum ſuſtentabit lacertis.
CZEREKVICCIORVM Leo pretioſis diſtinctus lapidibus
eidem ſe inſerit unioni propinqvitatis.
Deniq; MACZYNSCII, CIENSCII, & alia in proavis ſeges ampla ceris
Tuam ex Matre coronat lineam
ILLVSTRISSIME PRÆSVL,
tot avitæ geneſes ſuis ſtemmatibus illuſtrant,
qvas aurei potiùs characteres in memorandis annotent codicib9,
non calamus inter compendioſos hujusce panegyris limites recenſeat.

SPLENDOR
NATALIS, & JVVENILIS INDVSTRIÆ
ILLUSTRISSIMI PRÆSULIS.

EAdem naturæ infelicitas eſt monſtroſos edere partus, qvod degenerem à ſuis majoribus eniti ſobolem; ſi moribus nimiùm portentoſa evadit. Idem eſt acephalum progigni; qvòd hominem eſſe ſinè cerebro: æqvalis deformitas mancum in lucem prodire; atq; ignavam manum ad egregios non librare conatus: par dedecꝰ, truncatum pedibus, naſci; atq; uno ad virtutem non progredi paſſu. Sæpiùs tamen reſilire videmꝰ à parentum dexteritate abortivam prolem, ut nec umbram illorum generoſitatis habere videatur. Sic formoſus ſol turpiſſimos gignit buſones, pulchra dies umbroſam parturit noctem, aurea ſæcula pretioſis viſceribus effundunt ferream ætatem, ſvaves mellitæ dulcedinis cellæ aculeatas pariunt apes, ſpecioſus ignis nigricantẽ fumum producit, limpida aqvarum cryſtallus cænum in ſuo ſinu educat, unus idemq; ramus vacuum portat nucleum, perfectasq; juglandes. Ex lapideo hominum genere cerâ molliores fætus, ſtupet Deucalio; ex aureo imbre prognatum Perſeum ſub ferreo panopliæ cultu adeo miratur Acontheus, ut ſtupore defixus in ſaxum obrigeſcat. At Tu ILLUSTRISSIME PRÆSUL ab Antenatorum gloria non degener, in prima vitæ tuæ aurora oſtendiſti, qvalis olim eras futurus. Annus ſupra milleſimum ſexcenteſimus qvadrageſimus Te in lucem edidit, ſub prima veris crepundia, floridum tantæ proli aſſignans

gnans tempus, cui jam tunc animus erat in magnas efflorescere virtutes. Nimiùm invidebat depontana hyems amœnissimo veri hanc felicitatem, iterumq; dominari voluit, ut Tibi in cunis adhuc deposito in profundioris reverentiæ signum canicie tectum flexisset verticem. Imò & aliæ anni partes eadem laborabant invidia, qvòd sui temporis obseqvio Tibi militare non potuissent. Vicinus Majo Aprilis intra se qvodammodo ringebatur, qvia infra suas ferias genethliacum Tuum diem non numeravit. Nec minùs collateralis Junius ingenti dolore tabescere videbatur, qvòd è propria dierum serie natalem tibi non obtulerit. Optimè tamen evenit, qvia terruisset Te minorem in fascijs pupulum eò temporis lucens in cælo taurus suis cornibus, vel cancer bisulca forfice; ideoq; Majales gemini astra etiam deserere volebant, ut Tibi colluderēt, & delicatioribus abblandiētes lenocinijs pueriles agitarent cunas. Ipsæ arbores intelligere videbantur magnæ spei pusionis genethlia, statimq; decalvatæ hyberno rigore contextam virentibus folijs induerunt cæsariem; erubescens suam nuditatem tellus gramineo ornata amictu apparuit; nolebant glaciali compede flumina constringi, ut citiùs ad tanti hospitis salutationem excurrerent. Lætiùs se se explicabant flores, & latentem arctiori nodo evolvebant majestatem, qvasi repando ore Tibi festivum genethliacon locuturi. Substravit Tuis pedibus veris primitias venerabunda Chloris, timuit frigidus Auster plenis afflare buccis Tuos teneriores artus, ac proinde parcioribus labris lenes Tibi adspirabant Zephyri. Ita sanè tempus ipsum repuerascere decuit penes magnum infantem, brumalemq; exuêre caniciem. Septima Maij in Per-

7. Maij in Bonis Smolniki in lucē prodijt sub ortum solis.

vigilio Divi STANISLAI, alibi verò extra Poloniã die eidem ſancto Antiſtiti Sacra vitales auras captare cepiſti, felici præſagio, qvia lux illa augur fuit Epiſcopalis infulæ, qvæ Tuo incumbit capiti. In bonis Smolniki diſtrictus Sanocenſis natus es, qvæ licet triſtem in ſuo nomine præferebant fuliginem, Te nihilominùs ſine omni victurum macula ſpopondere. Nihil hæc umbroſa denominatio Tuarum virtutum ſplendori obſuit, cùm, & in Umbria naſci Claras compertum ſit. In ortu ſolis primam aſpexiſti lucem, qvi ſuis purpuraſcentib⁹ radijs Senatorium Tibi portendebat muricem. Tã illuſtris anima noctu oriri non debuit, imò aureũ cœli oculum in ſui admirationem evocare. Anteſignana ſolis aurora diutiùs morari voluit, ut ſpectatrix Tuæ nativitatis fuiſſet, verùm ſucceſſivo diurni planetæ extincta fulgore, qvaſi lachrymabunda matutini roris ſtillicidio infelicem deplorabat ſui occasûs ſortem. Nunqvam vibrantior ſiderum pupilla lætiùs in oriente mundum aſpexit, qvàm tunc, ut Te meliùs vidiſſet. Non audebant nubes triſte obtendere ſiparium, qvo curioſ⁹ videndi illius ſpectaculi Titan impediretur, innube cœlum amœna polivit ſerenitas, exhalati terrâ vapores altiùs aſcendere nolebant, qvin potiùs antiqvas repetiêre ſedes, ne ſagatiùs aſpicientẽ aſtrorum oculum obumbrarent. Iterũ ſplendidior Phœbus aurigari ſibi Phäëtontem cupiebat, ut è ſua detractus ſphæra in Tuas defluxiſſet cunas. Simul duo nata ſidera videre fuit, unum aſtris, alterum

E Sacro fõte levato à Generoso Luca de Familia Closassorum.

Te Sarmatico orbi, utriuſq; inſolitum jubar, æqvalem amborum majeſtatem. Tandem è ſacro fonte levatus es à Generoſo LUCA de magna Cloſaſſorum ſtirpe, ſtẽmatis Janina, non ſine omine, qvòd

ejus-

ejusdem tesseræ primo Patrinum, postea Patronũ habiturus eras in Persona Serenissimi JOANNIS III. Iam tunc scuto fidei armaberis penes gentilẽ Patrini Tui Panopliam, sanctiorem hanc cataphractaram retundendis insanæ hæreseos telis oppositurus. Septennis demum cum Generosis Parentib⁹ in Palatinatu Lublinensi consedisti, prima literarũ rudimenta Lublini condiscens circa annum qvadragesimum nonum.

Lublini rudimenta literarum cõdiscit.

In puerili prætexta apparebat magna addiscendi omnia aviditas, veluti argumẽtosæ apis, qvæ millenis floribus mellitum exsugit nectar, nec unico contenta Hymetto, svaviorem quærit Hyblam. Vivax prodebat se se indoles, ceu promicans è nube fulgur; arridebant juvenili animo pretiosæ scholastici laboris gemmæ, quibus sapientia emitur.

à Generoso Domino Francisco Dubranski Succamerario Premysliensi Avo Materno traditur Illustrissimo Venceslao Leßczynski Episcopo Varmiensi.

Piè tandem mortuis Parentibus ab Avo Materno FRANCISCO DUBRAWSKI Succamerario Premysliensi Directore tunc Equestris ordinis in generalibus Comitijs traderis ILLUSTRISSIMO VENCESLAO de Leszno LESZCZYNSKI Episcopo Varmiensi, quem ingenij Tui acrimonia permovit, vt in Varmia primò Resselij, dein Brunsbergæ Te studijs admoverit cum Noskovijs, Karvacijs, Baykovscijs, Wilkovscijs, quibus liberalitas ejusdem in condiscendis literis suffragabatur.

Resselij deinde Brunsbergæ studet.

Raritas quædam est magnorum virorum affectus mereri: rarus phœnix, qui in hac illustri amoris ardeat pyra. Industrius auceps esse debet,qui sine visco adulationis plumatam hanc capit volucrem. Magnatum gratia bene chamœleontis naturam exprimit, quia sæpiùs mutat colores, alienis suspirijs quasi vento pascitur, nunquam tamẽ simili pabulo saginatur;quò magis clientum anhelitus consumit, eò magis abligurire vellet ejusmodi

Ethesias, Principum favores idem est qvod leones venari, si ignarus artis venator accedas, graviorem morsum senties. Animos dominorum velle sibi conciliare omnino arduum; nam grandis hic Oceanus parvæ scrobi non infunditur. Scivisti ILLUSTRISSIME PRÆSUL LESZCZYNII demereri affectum compositis moribus, seniliq; gravitate. Suspexit modestissimi Tui vultûs theatrum admirabundus ANTISTES, in qvo nulla mutatio histrionicam egit. Agnovit gentilij illius Bisontis vertex Tuum caput in tenera ætate jam sapientiæ destinatum, ideoq; Te doctioribus Musis consecravit.

Vno mense infimā Scholam Grāmatices, altero mediā, duobus mensib9 supremam, Pòésim uno mense, Rhetoricam dub9 absolvit.

Illud porro mirandum est, qvòd infimis literarū principijs unico tantùm mense, mediæ classi Grāmatices altero, supremæ duobus mensibus operam navaveris, uno mense Pòésim, duobus Rhetoricā absolveris. Inaudita hæc discendi celeritas, non integro anni decursu tot difficultatum ambages superâsse; idq; non primis tantùm libando labris, sed perfectam omnium combibisse notitiam. Alijs totus evolvitur anni circulus, anteqvam exiguas Hypocrenis scaturigines ingenij aqvæductu attrahant, totæ trieterides, vel olympiades decurrunt, donec Rhetoricos aliqvantisper degustent fontes: Tu parva temporis intercapedine æqvè Castallios latices, ac flumina eloqventiæ exhausisti. Novum Bellerophontem alato ferri Pegaso credebant Camænæ, ubi tam citò ardua Parnassi juga prætergressus, stupore defixos reddidisti spectatores. Patritiam Lunam æmulari videbaris, qvæ celeriùs planetis omnibus suam circumagit sphæram, festina festivaq; indole domesticæ Sagittæ volatum expressisti. Verbo dicam metricis pedibus altiorem dicendi cothurnum ita adaptâsti, ut neminem æmu-

lum

lum habueris, qvi vel aſſeqvi ingenij velocitatem, vel acutos mentis conceptus imitari auderet. Multis in Philoſophico curſu aſininum pontem calcantibus ſolenne eſt tardos lentare paſſus, Tibi prætervolare eundem non erat difficile. Nemo tunc ex coætaneis celeriùs ſalire potuit ad Ariſtotelici organi ſonos, qvàm Tu agilis choroſtatà. Plurimorum rotat capita imò abſorbet mentes ejusdem Stagyritæ Euripus, Tuam movere non potuit vorticoſo circuitu, qvamvis ad fundum uſq; illius ſcrutaretur alveos. Decurſis feliciter Philoſophiæ Olympijs ab Illuſtriſſimo Comite LESZCZYNIO recommendatus Sereniſſimæ LUDOVICÆ REGINÆ, cujus animum cepiſti rarioribus talentis, eximijsq; naturæ dotibus; ut brevi Reginalis Majeſtas ad aulam Principis à Conde in Gallias Te ablegaverit, ubi honorificè exceptus, ſtudijs applicabare tam militaribus, qvàm politicis. Theologicam ibidem rimabaris abyſſum, Iuris Canonici praxim, Hiſtoricas eruditiones, Geographicas difficultates, mathematicos angulos ita vivaci intellectu comprehendiſti, ut omnigenâ tinctus literaturâ compareres; ubi Te ex ſcientijs diſputantem Sorbona audiens, obſtupuit. Dederunt plauſum laureati vertices conſummato Theologo, bene perſvaſi ſub gelido Septemtrione dari calentes ſcholaſtici Phœbi radijs Polonos. Optima fuit hæc conſideratio, qvòd priùs ſapientiæ oleo delibutus eſſe volueris, anteqvam ſacro Myſtarum ceromate ad aras ungerere.

Ab Illuſt[...] Comite L[...] ſczynio S[...] reniſſimæ L[...] dovicæ Re[...] ginæ com[...] mendatur[...] à qua [...] Gallias a[...] aulam Prin[...] cipis à Cond[...] ablegatur

Theologiæ Iuri Cano[...] nico & Ma[...] thematicæ dat operam

SPLEN-

SPLENDOR
EX HONORARIIS IN GALLIA, ET POLONIA MUNIIS, LEGATIONIBUS, ET COMMISSIONIBUS PUBLICIS
ILLVSTRISSIMI EPISCOPI.

PEregrina indoles ſi exteros meretur faſces, rara, & edecumata eſſe debet: nec omnis altiora ſcandit faſtigia, qvi poſt longa viarũ fatigia ſub exotico ſtetit cœlo. Plures jeiunam mentem ad patria reportant limina, qvia ipſos tantùm oculos diverſis paſcere objectis nôrunt, non animum ſapientiæ bellarijs ſaginare, dumq; caput amittunt, non habent ubi honorarias reponant coronas. Difficilè eſt domi honorem meruiſſe, nedum ſub alieno climate. Aliqvando teneriores fortunæ pulli cereo alarum remigio in altum evolare geſtiunt, & vix cani in provecta ætate olores rubẽt in purpura. ſæpenumerò depontanæ vitæ reliqvijs ſuam dignitas concedit apotheoſim, ſeròq; honorandas exponit, multa ijsdem titulorum accendens lumina. Vltrò in Tuos humeros ILLUSTRISSIME DOMINE honor defluxit, ubi in Gallia creatus Eqves Montis PeſſulaniSancti Spiritûs,Divinũ Pneuma ſub ſchemate columbæ portâſti. Teſtari volebant exteri dulcem ſibi fuiſſe Tuam præſentiam, qvando hanc ſine felle volucrem pectori appenderunt. Qvondam penes Tui STANISLAI corpus qvatuor aqvilæ excubias egerunt, penes Te columba excubat, ſed qvæ fulminum adminiſtras alites imitari didicit, in Apoſtolicos vertices rapidos de cœlo ejaculata ignes. Redux ex Gallia, ejusdem

Eqves Mõtis Peſſulani S.Spiritus in Gallia creatus.

dem Equitis titulo insignitus in aula Serenissimæ LUDOVICÆ aliqvo tempore morabaris, donec Divinus ille Spiritus sanctiorem vitæ statum Tibi inspiravit, qvo feliciter arrepto inter Canonicos Gnesnenses à Serenissimo JOANNE CASIMIRO cooptatus es, utpote bonus odor Christi inter gentilitia Archidiœcesis Lilia; cùm non ita pridem niveis ejusmodi floribus Gallia Te creavit. Ita post floridum illud ver âuream gratiarum messē in Iagellonico manipulo sperare poteras. Inter Cathedrales Prælatos qvidqvid elocutus es, auro dignum erat, forsitan hæc oracula edoctus ab admota pectori Tuo volucre, qvæ loqvacior illis in sylva Dodonæa columbis, igneâ Tibi loqvebatur lingvâ. Tandem inter aulæ Secretarios receptus ab eo tempore judicijs Assessorialibus Regijs assiduè exercitabaris, ubi graviora causarum momenta ponderosissimo librabas ingenio. Qvilibet reus fieri volebat, ut à Te judicari posset; insons etiam pro nocentissimo haberi exoptabat, qvatenus tuâ sententiâ puniretur; adeoq; pro capitali crimine putabatur, coram Te non accusari. Profuga semel è terris in cælum Astræa gentilitiam Lunam pro astris habitura, postqvam Te justitiæ arbitrum advertit, giganteo in terras prosilijt passu. Venenatas enecuisti vitiorū aspides, scelerum monstra fulminâsti, ut jam non cœlesti tantùm libræ, sed etiam æqvitatis bilanci aculeatos scorpiones subesse constaret. Oculatissimus lynx respectus ad Tui tersissimi candoris speculum excœcatus perijt: parem qvippe animadversionem fecisti in auroplumatas chlamydes, atq; in viliores lacinias, æqvaliter clarum & obscurum genus condignis mulctâsti pœnis, si illas promeruit. Et certè in hoc impolita debet esse justitia, ut personarum

à Serenissimo Ioanne Casimiro Canonicatus Gnesnensis eidem confertur.

Iudicijs Assessorialibus Regijs admovetur.

narum acceptionem non habeat, urbana tamen hæc ſimplicitas, politica barbaries ſine delectu judicare. IniqvaThemis eſt cui gigas exceſſus pumilio eſſe videtur, grandis elephas exiguus culex: minutior verò muſca pro æripede tauro habetur, levis atom⁹ pro monte reputatur. Ablegationibus dein Regijs & Commiſſionibus publicis intentus rerum ſacrarū lectionem non intermiſiſti. Sapiebant Tibi Bernardi mella, placuit aurea CHRYSOSTOMI eloqvētia, meliùs non potuit vigilâſſe ad ſuam Cleantes lucernam, vel ad accenſum Ariſtophanes lichnū, qvàm Tu ad ignitū cor AUGUSTINI, ejusdē versās volumina. HIERONYMI admotus pectori lapis ignitabulum Tibi fuit, qvo flammas excuteres ad continuam lucubrationem in revolvendis purpurati hujus Dalmatæ codicibus. Nullibi ſine comitibus libris, ſeu domi, ſeu in via comparuiſti. Arctiorem longè captivitatem in Tuis manibus ſenſit, qvàm metricis ligatus vinculis Apollo; duriorē ſuſtinuit carcerem facundia toties ſubintrans dexteram, qvàm ſi aureo Herculis torqve catenata fuiſſet. Qvocunq; pergeres, Philoſophica Peripatus Te ſeqvebatur, deniq; omnis ſcientiarū encyclopædia præſto ſemper adfuit avidiſſimo librorum helluoni. Inter tot curas & publica negotia pro ſanctioribus roſtris diſertus ſtetiſti orator. Repercuſſā vocem templorum fornices & columnæ non heptaphonâ echone, ſed millies repetere volebant, ut iterum atq; iterum in aures numeroſæ concionis influxiſſet. Ardentiùs verò perorans vix mortuum è ſepulchris non moviſti auditorē, pallidosq; manes ex ſuis aſſurgere feciſti mauſolæis, ut curioſiùs dicentem Te auſcultâſſent. Vivos homines īmota qvodāmodo cadavera reddebas vivaciſſimo dicen-

Publicis intentus negotijs, rerum ſacrarum lectionem non intermiſit.

Continuus in libris ſcholaſticis revolvendis.

In concionando indefeſſus.

dicendi zelo, raptas illorum mentes ad Deum avocans extaſi prorſus inaudita. Qvædam voluptas Te loqventem audiendi catenabat populi animos, qvibus tota dies unicum videbatur momentum, utpote nullam diuturnioris tædij moleſtiam paritura. Muti lapides, vel ipſe ſuggeſtus ex qvo verba fundebas, ſi lingvam habuiſſent, obnixiùs Te rogâſſent, ut diutiùs ſvavi oris eloqvio perſonâſſes. Licet Pericles audiebaris in vitia detonans, libenter illis fulminibus qvilibet caput obijciebat, non auſus validæ tempeſtati palliũ excuſationis obtendere. Veritas apud Te virgo intaminata permanſit, qvia nunqvam odium peperit. Veluti rapidus torrens ex montis ſupercilio violenter cadentibus aqvis nihil intactum relinqvit, ſaxa & arbores in unum convolvens cumulum: ita Tu omnium mores, effrenatamq; in malum licentiam cenſoriæ vocis oraculo tangebas.

Abſtinentia illius in aula Sereniſſimi Ioannis Caſimiri.

In aula Sereniſſimi JOANNIS CASIMIRI degens magnatum convivia fugitabas, vini potu abſtinens, ſolâ contentus frigidâ, qvæ Falerno, vel qvovis Maſſico ſvavior Tuo arriſit palato. Magis illachrymabantur ſuæ infelicitati qvàm aliàs ſub veris initium putatorio cultro circumciſæ vites plorare ſolent, qvòd illarum liqvor ſummis ſaltim labris à Te guſtari non mereretur. Triſtis nimiùm Bacchus ſuum manibus abjecit thyrſum, qvia ſe deſpectum indoluit, iamq; bellum Neptuno intentare volebat, qvòd ejusdem lymphæ majori apud Te in pretio fuiſſent, qvàm ſui potûs dulcedo, niſi ſciviſſet cornigeros huic Numini militare fluvios, qvi ſuam cornibus aſperatã frontem minimè pertimeſcerent. Bene eſt, qvòd natum hunc inter fulmina Deum contempſeris,

qvi mentis ſerenum amas. Pedeſtre illud Numē qvia fæmori Jovis incluſum, nunqvam dignum capite, pedibus à Te debuit conculcari. Et jam veritati non abſona Pòëtarum fictio, lunam dulces potare aqvas, ubi Te domeſtica Cynthia edocuit fonte levare ſitim. Magnam æſtimationem Tibi hæc conciliavit abſtinentia apud Sereniſſimum Poloniæ Principem, Reginalemq; Majeſtatem, qvòd inter calentis pocula Cæcubi nuſqvā comparueris.

Conſtantia infracta, & ety evitatio.

In aulæ freto Tuæ conſtantiæ cymbam nemo titubantem vidit,qvia doloſas voluptatum Charybdes, periculoſasq; vitiorum Malæas procul evitâſti, cùm nec ad minutiorem ſcrupulum, nedum ad majorem ſcopulum impingeres. Tua agilis indoles feriari nec voluit, nec potuit, honeſtis ſemper occupationibus diſtracta. Aureum tempus ferreis Tibi conſtabat laboribus, ideoq; illius pretium conſumere noluiſti.

Beneficium curatum ab Illuſtriſſimo Andrea Trzebicki oblatum recuſat.

Hinc ab Illuſtriſſimo ANDREA TRZEBICKI Epiſcopo Cracovienſi locuples beneficium curatum Tibi ſuo ſangvini offerenti cum onere reſidentiæ venerabundus non acceptâſti, veritus deſidem privatæ vitæ inertiam. Enimvero capitaliſſim9 eſt hoſtis generoſæ menti otium, qvia plurimorum vires enervat, fraudulenta Siren ſvavi vocis temperamento ferreum mortis conciliat ſomnum, ſæpiùs effæminatas mentes non ad Omphales ſtamina cum magnanimo damnat Alcide,ſed ad funeſtam Parcarum colum. Non paſſus es ILLUSTRISSIME DOMINE Tuam ingenuitatem arcto ignaviæ conſtringi nexu, qvia in continuo motu cum patria Luna eſſe voluiſti, irreqvieto ad gloriam contendens curſu. Vnde ab utraq; Cancellaria non ſolùm ad conſilia adhibitus, ſed

etiam

etiã expeditionibus concipiendis,& ſcribendis accommodatus non vulgare capacitatis dediſti argumentum. Optimè eqvidem ingenij Tui aciem exacuere poteras penes PRAZMOVII Mucronẽ, ad Biſontis LESZCZYNII Verticem luculentiori caput informare praxi, ad OLSZOVII Falces auream ſapientiæ colligere meſſem, penes candida MICHAELIS PACII Lilia recentes prudentiæ decerpere flores. Gratulabatur ſibi ſignatoria Regni Aqvila,qvòd à Te conſcriptis imprimeretur paginis, illasq; ambabus alis complexa tenaciùs ſtringebat, & certè ſine manuum appreſſione doctiorem chartam involáſſet, niſi eandem Cancellarij,vel Procancellarij dextera preſſiùs tenuiſſet. Noluit ſigillatoria ales ſolem aſpicere, WITVICIANI Sideris contenta lumine, qvod inconnivâ haurire pupillâ eouſq; non deſtitit, donec in aliud commigraret hemisphærium. Libenter & armatus Litvaniæ Eqves Tua manu exaratis inhæſit monimentis, & qvi citato curſu volantem ad laureas detorqvet Pegaſum,propter Te molliori ſigillatricis ceræ compede ligari voluit, ne ulteriùs progredi poſſet, Tuam indolem pro terminali meta habiturus. Tandem ſucceſſu temporis à IOANNE CASIMIRO Legationis Brandeburgicæ: Lunemburgicæ, Danicæ, Sveticæ Secretarius deſignatus, verſo in Polonia rerum ſtatu à Sereniſſima LUDOVICA ab itinere revocabaris, qvòd majoris uſus in patria habereris. Verſata in omnibus dexteritas ad longinqvos orbis triones amandari non potuit, qvâ domeſtici egebant parietes, non expediebat tantam ingenij velocitatem peregrino exponere ſoli, qvam illuſtria Sarmatiæ ſidera magis reqvirebãt.Denuo Secretariatu

In utraq; Cancellariâ expeditionibus concipiendis & ſcribendis accõmodatur.

Legationes varias obije à Sereniſſimo Ioanne Caſimiro ad easdem deputatus, ſed à Sereniſſima Ludovica ab itinere revocatur.

Secretarium agit Legationis magnæ in Gallias, ubi à Rege Ludovico Magno aurea donatur catena.

functꝰ es Legationis magnæ in Gallias, ubi Tuam activitatem feliciter regnãs LUDOVICUS Magnꝰ multis cumulavit favoribus (cui antea non ignotꝰ eras degens ad aulam Principis à Conde) donato numismate aureo cum ponderosa catena, ut novus extra Romam compareres Torqvatus. Rapuisti cor & affectum regalem Tuis egregijs dotibus, ac proinde violentus animi raptor in hæc vincula cõijci merueras, non frigida accendisti dictione LUDOVICI animum, ideòq; similes pedicæ imponi debebant captivando incendiario. Nimium grassabatur non jam ad latus Regium, sed in ipso pectore Tua submissio, qvapropter ob violatam securitatem simili nexu ligari debebas, à Serenissimo Sole accensam amoris facem reportâsti domũ redux Prometheus, meritò igitur ad Parisiensis Regiæ Caucasum fortiori catenâ adstringendus eras. Multi peregre suscipiunt iter, non ut aliqvid novæ indolis imprimant animo, sed ut proprium decoqvant ærarium, extra patrios limites aureo vehuntur asello, ut pedestres redeant: Tu & peregrinas politiei merces in domestica limina invexisti, & tam nobile Christianissimi Regis congiariũ asportâsti.

Cum Ioanne Casimiro throno decedente, & in Gallias commigrante certat literario officio ex Polonia.

Cedente postea fatis LUDOVICA, & throno decedente IOANNE CASIMIRO, singularem illius meruisti gratiam, ut à Te literariam ex Polonia in Gallias desideraret compellationem. Certatum est utrinq; mutuo calami officio, & sufficientis votorum Principis coronamento, qvousq; fatali incineratus busto non occubuit. Ausim dicere in posthumis CASIMIRI cineribus diu vixisse ardentis erga Te amoris scintillas, imò læsum Tui affectus telo in sepulchrali marmore scripsisse indelebile propensionis argumentum.

SPLEN-

SPLENDOR
EX MONIMENTIS MANUSCRIPTIS, & PRUDENTIA IN DANDIS CONSILIIS
ILLVSTRISSIMI PRÆSVLIS.

POtentiſſimum eſt lingvæ & calami imperium; qvia ad deditionem cogit rebelles animos, ambulatoriæq; hominum voluntati capiſtrum imponit. Unica penna grandem ſangvinis cataclyſmum ſiſtere poteſt, cui arcendo ex numeroſis cadaveribus congeſti aggeres non ſufficiunt. Flexanimis ſvada ſæpiùs jubet Gradivũ laurigeras poſt bella ſecures pacatâ geſtare manu, Latiáq; micantem loricam mutare togâ. Sæva Martis claſſica unicus obturat calamus, hiantes tormentorum rictus obtundit, ſcintillantes hebetat gladios, qvidqvid demùm factu impoſſibile magnam difficultatem involvere poteſt, totum id facundi oris doctæq; manus robori omninò cedere cogitur. Utroq; Tu ILLUSTRISSIME DOMINE excelluiſti, & lingvâ, & calamo celeberrimus, hocq; non alio motivo ſub tempus Electionis invitatus es ab Archiepiſcopo Interrege ad aſſiſtentiam ſui, ubi inoffenſo ſtetiſti pede qvinqve lingvarum expeditiſſima gaudens varietate, publicis commiſſionibus, cum Legatis externorum Principum peraccommoda: plura Tuo ingenio concinnata legere fuit manuſcripta, qvibus Polonam gentem informabas, de qvalitatibus, capacitate, & conditione candidatorum, tanqvã verſatus in rationibus ſtatûs Europæorum Principum. Qvilibet veluti in ſpeculo videre poterat qvalificatam indolem Poloni diadematis compe-

Illuſtriſſimi Præſulis manuſcripta informantia Polonos de qualitate, capacitate, & conditione Candidatorum.

titorum, non erat opus aliunde documenta habilitatis conqvirere, qvia luculenter eandem Tua circumſcripſit inſtructio. Uude ambigebatur ab externis, an Tuus calamus penitiſſima qvæqvé expreſſerit, an ſuæ gentis curioſior penna? nulli tamen ſe mancipari voluit tam induſtrij ſcriptoris manus, niſi patriæ; adeo, ut nec nummariæ tentationes prævaluerint, qvamvis uti foro anguſtior fortuna ſvaderet. Sereniori Tuo animo aurea tempeſtas nubem obtendere non potuit, evanidum illud ſplendidioris metalli fulgetrũ & pretioſ9 imber ſudũ mentis minimè conturbavit. Crediderit ſanè ſuperſtitioſa antiqvitas ad æris tinnitum lunæ ecclypſim ceſſare: Tua ILLUSTRISSIME PRÆSVL Cynthia auri ſonitu non indigebat, qvia nunqvam paſſa eſt deliqvium. Forſitan né plura ſcripſiſſes, ad Sarmaticam coronã anhelantes animæ ditiorem Tagum effuderunt, cui doctiorem pennam intingeres, verùm ſua ſpe fruſtrati virilem in Te conſtantiam ſtupuerunt. Sculptæ in pecunia aqvilæ, & enſiferi leones fruſtrà argenteis ungvibus Tuum pectus fodicare tentabant, qvia adamantinum invenêre. Veriùs dixerim, præ magno timore expalluit aurum, verebatur enim Tuos incurrere obtutus, qvi eiusmodi inanias deſpiciunt. Maluiſſet tunc dives Plutus abditiſſimis terræ viſceribus occultari, qvàm in Tuis oculis rubore ſuffuſus comparere. Tandem Sereniſſimus MICHAEL ad Regalem thronum inauguratus intimioribus Te annumeravit, eò qvòd multis rationibus conſcriptis indigenam Regem perſvaſeris, & fatidico ſpiritu prædixeris eidem dotale ſceptrum, eo reſpectu, qvia recordatione paternæ gloriæ, maternæq; probitatis carior

Generoſitas eiusdem in contemnendis corruptionibus.

Sereniſſimus Michàél intimioribus eundem admiſit.

carior fuiſſet civibus,& externis candidatis ſecurior, qvorum ſtudia armata cernebantur. Neq; minùs affectum Principis Tibi illud conciliavit, qvòd Procancellarius Regni OLSZOVIVS ſtatim poſt electionem inter cætera conſilia, hoc etiam Sereniſſimo MICHAELI propinavit, vt ad perdiſcendam artem militarem uteretur operâ Generalis VRANGELLII tunc in Polonia præſentis, & Generoſi BIELINSKI Enſiferi Regni, ad hiſtorias verò & rationes ſtatûs, tum ad elegantiorem eruditionem Te ILLVSTRISSIME ANTISTES adhiberet, crebriùsq; philoſophantem de rebus auſcultaret. Communicaverat Tibi OLSZOVII conſilium Poloniæ Princeps, & multoties Tuæ lingvæ ſecutus oracula, ex voto ſibi omnia fluere agnovit, donec à majoribus ad alia impelleretur, qvorum poſtea perſvaſionib9 non ſine viſcerali ſingultu indoluit, Tibi ſæpiùs hæc inſinuans: qvàm meliùs fuiſſet mihi Tua conſilia non violenta tenere. Pene convenit KORYBVTEA Luna cum WITVICIANO Sidere, qvòd ſuâ inſtructum Sagittâ juremerito Apollinis arcum appellaverim. Adeòq; WISNIOVIECCIORVM Cynthia doctioris Tuæ Minervæ noctuam ſuis recreabat radijs, ut inconnivâ eandem ſpectaret palpebrâ. Fæcundus ſapientiæ fons eſſe debueras, ex qvo ſuas ſcaturigines regalis hauſit corona; plenum oleo caput habuiſti, à qvo unctus Domini non modicam derivavit doctrinæ portionem. Qvēlibet judicij Tui ſenſum Sereniſſimus MICHAEL ſua ponderavit bilance, qvia meliori librâ non poterat examinari, qvàm Angelicæ inſertâ manui. Nec mirùm, qvòd coronatę mentes ſubditorum opinioni adhærcant, cùm & ſolem non pudeat

AndreasOl ßonſki Ar chiep. Gneſ ſvaſit Sere niſſimo Mi chaeli, ut a rationes ſtā tus condiſcē das Illuſtriſſ Epiſcopi mo derni inge nium adhi beret.

minorem ſeqvi auroram, ad exiguum magneticæ acûs indicem ingentes flectuntur onerariæ, ad parvi rudentis directionem magnæ detorqventur triremes, vix apparentem ignis ſcintillam grande comitatur incendium. Ab ore Tuo pendebat Poloni Orbis Monarcha, egregia ſub tanto capite appendix, tenaciùs ferrum ſuo non adhæret magneti, aut ſtipula attractivæ ſuccini potentiæ, qvā Tuis gravioribus effatis regale arbitrium. Inviolatam eidem Principi ſervâſti fidem, non Te immiſcens vertumnæ aliorum mutabilitati extra ſphærā activitatis. Non mutavit Tua luna colores, nec rubicunda erat; qvia non habebat qvod erubeſceret: nec pallida; qvia de minima difficentiæ nota non timuit: alba tantummodò emicabat penes niveum candorem. Scivit æſtimare Sereniſſimus MICHAEL Tua talenta Illuſtriſſime PRÆSUL, ſuſpexit raram in omnibus prudentiam Sereniſſima ELEONORA, à qvibus ad Auguſtiſſimum Imperatorem LEOPOLDUM miſſus, qvàm egregiè hanc Spartam colueris, Invictiſſimi Cæſaris comprobavit effatum, qvòd ſcilicet habueris dotes magnis pares negotijs, æqviualentemq; ſtatui publico peritiam. Princeps Imperij aqvila gratiſſimum Te hoſpitem comploſis ſalutavit alis, intra circulum Auſtriacæ Faſciæ claudere volens, né indè in patriam commigrares. Tota Cæſaris aula diu in Te defixos tenuit oculos, & jam qvilibet ſpectator Argus eſſe volebat, ut centenas pupillas Tuâ præſentiâ ſatiare voluiſſet. Fremebat hominum undante tumultu ſuperbum auguſtal, & veluti muſſitantium in ſuis alvearibus apum audiebatur murmur, undiq; confluebant aliorum catervæ, ut Tuæ ſalutationi attentas aures accommodâſ-

Legato mittitur ad Invictiſſimum Imperatorē Leopoldum.

Tota Cæſaris aula ſtupuit legati ingenium.

modâſſent, unus ſupra alterum in gigantem creſcere optabat, ut Te ſaltim vidiſſet. Sed non ipſe tantùm Imperator deſideratiſſimo advenæ reſeravit cordis ſui arcana, ſed qvacunq; tandem inter Pannoniæ juga diſcederes aureis prægnantes metallis montes pretioſa Tibi pandebant viſcera, ut Tua veſtigia deaurâſſent. Et hæc eſt magnorum virorum gloria, ut non ſtagnans illorum domi indoles totum circumfluat orbem, imò alterum mũdi globũ cũ Macedone exoptet, in qvo liberè poſſit exſpatiari. Præmaturis abrepto fatis MICHAELE, iterum Reſpùblica ad triſte redacta juſtitium, poſt obumbratos funeſta eclipſi KORYBUTEI ſideris ſplendores, novam expectat ſerenitatem. Commodius tunc theatrum nactus bene merendi de Republica, freqventibus ſcriptis demonſtrâſti, illum debere Poloni dominij flectere habenas, qvem ſupremum Numen ceu digito ob Chocimẽſem victoriam dignum ſceptro oſtendit, nempe Sereniſſimum JOANNEM III. feliciter regnantem. Meruerat certè & Tuo, & omnium judicio regalem thronum eo temporis Dux inviĉtiſſimus, cui reſectæ hoſtium cervices ad illud faſtigium ſternebant gradus. Ipſa barbarico cruore ſubſcripſit juſtitia non alteri deferendam regnandi ſucceſſionem, niſi illi, qvem tot trophæa illuſtrârunt. Non erat opus magnos ad ſceptra qværere candidatos, cùm nemo major IOANNE ſurrexit. Non arundinem ille vento agitatam, ſed fortiſſimum Scipionem egit, qvi tam ſub ferrata caſſide, qvàm ſub regio diademate minimè nutaret. Nimiùm confiſi ſuis viribus Scythæ per agros Poloniæ palabantur, ſed ad Komarno exiguos hoſce culices ſatis erat unico percuſſiſſe talitro. Iterũ ad Zorawno in cla-

in clamoroſos degeneraverant grues, rati Pygmæam Polonorum fuiſſe virtutem, verùm Gigantē vel in nomine IOANNIS experti Sereniſſimum Principem, turpiter cæſi occubuerunt. Tota in lauros eviruit ſylva magnanimo Triumphatori, in vernantem Majum mutato Novembre, poſt ingentem Thraciæ cladem. Audijt orbis Lechicus in illo nemore ſub pelle ovina ululantes lupos, ſuæq; adgementes infelicitati. Volatiles barbarorum copias vox clamantis in deſerto priùs exanimavit, qvàm gladius. Nec gratis timore conſternati Biſtones ad illud nucetum confugerant, nimirum lacte eqvino enutritis puſionibus pueriles tractandæ erant nuces, non bella cum Polonis gerenda. Non humile fuit ſcabellum & luna Otomanica ad regale ſolium Sereniſſimo Principi, qvæ ubi gentilitium Podoliæ ſolem ſua interpoſitione ecclypſare volebat, ipſa defectum lucis pati debuit. Depreſſa Huſſeimi cervix aſcenſum præbuit ad ſupremum Sarmatiæ culmen animoſo Victori, totq; Gelonorum acervi dignum coronâ extulerunt caput. Unde non immeritò Tua illa Apoſtrophe ILLUSTRISSIME PRÆSUL ad Principes candidatos in qvatuor lingvas traducta & impreſſa dehortabatur regalis ſceptri competitores, qvi per ætatem, vel per fortunam impares tantæ moli humeros ſupponere attentabant, ut potiùs capaciori ſuſtentandum hoc onus cederent, nî ipſi ſuccumbere vellent: qvo Sereniſſimum Regnantem Tuus inſinuabat calamus. Plurimùm ad hoc contulit Tua induſtria, né Piaſtus excluderetur in Convocatione ſub tempus interregni facta. Luculenter demonſtrâſti id eſſe & genti Polonæ inglorium, ſi ſuos Cives ſceptri inca-

…x Turcis re…ortati tri…mphi gra…m fecerũt …l regalem …ronum Se…niſſ. Prin…pi.

…poſtrophe Principes …andidatos …luſtriſſimi …ræſulis in …atuor lin…as tradu…a, & im…eſſa.

incapaces declararet, erratica per orbem circũferens vota. Et certè non indiget noſtra Polonia mercenario ad coronam vertice, cùm tot capita domi habeat, in qvibus millenarum ferax ſollicitudinum reclinet pondus. Neq; expedit, ut ſub frigido Septẽtrione exotica pectora aureum calefaciat vellus, patriæ civibus conſecrandum. Multùm derogat domeſticæ gloriæ adventitia majeſtas, qvaſi extra tantùm capax dominij detur indoles, hîc verò neminem reperias, qvi ſciat imperij flectere habenas. Electo tandem Sereniſſimo IOANNI III. qvà ore, qvà calamo fideliter ſerviviſti, anteqvam regali coronæ emeritum ſuppoſuit caput. Et verò ferreus fuiſſet, qvi in huiuſce Principis ſinum tenerrimos tunc effundere affectus detrectâſſet, qvi tot illuſtribus ad ſolium præluſit triumphis. Omnium merebatur obſeqvia tanti Monarchæ authoritas, cujus præmiandæ virtuti nihil præterqvam ſceptrum ſuffeciſſet. Traxit Regis animum Tua fidelitas, ut multis in Coronatione de Regentia Cancellariæ Regni concurrentibus, Te rude donâſſet, adjecto de capacitate ingenij non humili elogio. Id ipſum Archipræſuleus OLSZOVII approbauit ſenſus, dum judicium ferret de illis, qvos miniſterij ſui habuit cooperatores, uti ejusdem datum Tibi encomiũ extat in impreſſæ orationis ſerie in hæc deſinens verba: Plùs mentis, qvàm carnis habet. Regens Cancellariæ factus, utrosq́, per ætatem diſtractos Cancellarios iuviſti in magnis expeditionibus, tam ab extrâ, qvàm ab intrâ, nomine Principis, & illorum publica tractans negotia. Ad phœnicis raritatem accedit, totum id proprij ingenij viribus præſtare, qvod ſumma Reipublicæ capita nõ

Electo tandẽ Sereniſſ. Ioanni III. quà ore, quà calamo inſeruit.

Regens Cãcellariæ Regni factus, utrosq; Cancellarios per ætatem diſtractos iuvit.

ſine improbo labore exeqvi poſſunt. Lacertoſus nimium debet eſſe Alcides, qvi pro tantis Atlantibus vix humanis ferendam humeris ſuſtentet molem. Magna ſanè induſtria illam difficultatū frangere glaciem, qvam vix honorariæ dominantium rumpunt ſecures. Non cuilibet rodendam hanc nucem porrexeris, niſi acrius habeat ingenium, qvàm dentes. Multi ſub parvo etiam ſudant pondere, qvid, ſi major eoſdem opprimat ſarcina, in flumen cum Marſya propemodum colliqvantur. Tibi verò ILLUSTRISSIME ANTISTES levius videbatur onus graviſſima cauſarum momenta ſummi iudicij ponderare bilance, qvæ Regalis tantùm ſensûs libramento, vel Cancellariorum opinioni examinanda proponebantur. Inter præcipua activitatis Tuæ opera illud vel inprimis cenſendum, qvòd Gedanenſium Civium motus Te ſingulari inſtrumento Sereniſſimus PRINCEPS compoſuerit. Inſana fæx denſioribus effuſa cuneis, emotas ſuis cardinibus templi fores effregit, Divorum imagines armis impetijt, altaribus violentas injecit manus, ſacram ſupellectilem convulſit, aris devota pectora vulneribus affecit, & qvod maximū, Numen ſpecie panis velatum pedibus conculcavit. Hem qvaliter animæ noſtræ vehiculum, an veriùs circularis rota per terram volvitur! cibus grandium cæno oblitus non apparet! manna abſconditum in humido invenitur. Ad tam enorme ſcelus Carmelitanæ ſtellæ lugubri indutæ cultu ſqvallebant, ſublimiorq: Carmelus triſte deflexit caput, qvaſi indolere voluiſſet Divino contemptui. Iterum fortaſſe igneo raptus curru Elias ad tam immane ſpectaculum abſceſſerat, qvia flammeo mucro-


Ex brachio Sereniſſimi Regis miſſus, Gedanenſem tumultum cōpoſuit.

mucrone veſanam populi colluviem non propulſavit. Hiantes in ſacris iconibus plagæ vindictam ad cœlum clamabant adversùs lymphaticos hoſtes, qvorum effrenata rabies aliter ſatiari non poterat, niſi grandi illo Superûm deſpectu. Auro imbracteatæ Sanctorum effigies ferream volebant induere cataphracturam, ut fanaticæ plebis impetum frangere potuiſſent; haſtis, vel acinacibus armatæ ſtatuæ vix jam ligneas non libraverant manus, profanatum DEI honorem vindicaturæ. Tota Polonia altis adgemuit ſuſpirijs tam improbo facinori, multis vix non effluxêre in lachrymas eliqvatæ pupillæ: Orthodoxæ fidei inflictum vuln9 plurimorũ tetigit pectora, maximè tamen Sereniſſimi PRINCIPIS cor penetravit, qvi Scuto bonæ voluntatis ſuæ omnia coronans, non ſivit infame adeò ſcelus impune abire, ubi Te ILLUSTRISSIME ANTISTES ad refrenandam heterodoxorum licentiam primarium vindicem deſtinavit. Et jam terna Crux Dantiſco pro ſtemmate data in tridentẽ tunc abijt, qvo ſanctior Neptunus furentes fluct9 domuiſti. Poſt illam tempeſtatẽ grata videre fuit halcyonia, ubi Tu ventoſæ plebis Æoliã ſolidæ perſvaſionis conatu refrenâſti. Adeòq; Tuæ Lunæ ſemicirculus ſuâ inſtruct9 ſagittâ in arcum pacis degeneravit à ſole ſub nube panis abſcondito refractum, poſtqvã vindicias ſumpſiſti irrogatæ eidẽ à Lutheranis injuriæ qvorum impenſis erectio Catholicæ Capellæ ſtetit in ipſo vrbis meditullio. Turbidæ etiam Grodnenſiũ Comitiorum procellæ ad ſvavẽ reductæ malaciam Tibi plurimũ debent, qvia Tuis ſedatæ cõſilijs qvieverũt. Sciviſti Tu ſvaviori eloqvio diſſidentes catenare affect9, ut unanimi conſẽſu in boni publici emolumentum conſpirarent.

Grodnenſium Comitiorum turbulentiorem ſtatum ad malaciã reduxit.

SPLENDOR

EX COLLATO EPISCOPATU KIIOVIENSI, ET LUCEORIENSI ILLUSTRISS: PRÆSULI, in qvo Pontificiæ virtutes elucebant, maximè verò zelus in perſvadenda unione armorum Polonis cum Auguſtiſſimo JMPERATORE LEOPOLDO, qvæ omnia ad POSNANIENSEM INFULAM illi gradum fecerunt.



AD altos dignitatis gradus pedetentim tutiùs itur, qvàm volatur. Nimirùm cereæ ambitionis alæ ad illuſtrioris tituli ſolem qvò velociùs eluctantur, eò citius diffluunt, né in altum evolent. Lubrica ad honorem via citatiorem fallit greſſum, & niſi ſuſpenſo gradu hæc glacies teratur, multis in medio curſu caſum accelerat. Inane eqvidem laboris irritamentum, uno vel altero paſſu velle attingere celſioris Olympi ſupercilium, qvò non levi anhelitu diutiùs omninò tendendum. Violenti invaſores ſi non præmeditato conatu atria honoris irrumpunt, cum pudore à fortuna exturbantur, vel potiùs turpiter eijciuntur. Optima Tua ad honorarios faſces gradatio ILLUSTRISSIME ANTISTES, qvia non præceps Tibi animus ſenſim petere ſumma didicit, non humile ſuæ moderationis nactus coronamentum, videlicet Epiſcopatûs Kijovienſis Infulam. Vix in Senatoria conſediſti curuli, ſtatim applicabaris à Sereniſſima Majeſtate ad tractatus Moſchoviticos, ad conferenti-

Epiſcopus Kiiovienſis factus, ad tractatus Moſchoviticos applicatur.

rentias cum Nuntijs Apoſtolicis, Imperialibus, Gallicis, Sveticis, Brandeburgicis Legatis. Ita namq; ſvaviter commiſſa Tibi negotia cum ijsdē pertractabas, ut ſatis mirari non poſſent Tuæ dictionis gravitatem, resq; arduas in momento perſtringentem induſtriam. Deputatus à Sereniſſimo Rege ad reducendos in gremium Eccleſiæ Epiſcopos, & Abbates Ruthenos, multùm laboris impendiſti, qvà demonſtrationibus, qvà exhortationib9 proſperante Tuos conatus Numine, ut in irritum nunqvam ceſſerint. Interventu namq; Eminentiſſimi nunc Cardinalis Apoſtolici NUNTII, Illuſtriſſimi Epiſcopi Varmienſis, & Illuſtriſſimi Palatini Ruſſiæ eò res deducta, ut Leopolienſis, Premiſlienſis, Halicienſis, Camenecenſis, Epiſcopi Rutheni ſanctæ unioni ſubſcripſerint, cōſtanter hucusq; in eadem durantes. Egregiè ſanè gentilitius Eminentiſſimi Pallavicini Crebriſurus extra ovile Chriſti aberrantes oves in una clauſit mandra. Sbąsciana Faſcia optimè ligavit diſcordes animos. Jabłonovij ſalx culmum non expectans, in herba malum ſuccidit. Favorabilis Tuæ Lunæ radius caliginem mentis illis tenebrionibus diſpulit, ut clariùs fidei lumen viderent. Tandem ad Cathedram Luceorienſem evectus in in eo vel maximè eluxiſti, qvòd in defeſſo conatu laboraveris circa ſacrum fædus concludendum, cui9 rei teſtimonium non modò Sacræ Regiæ Majeſtates dederunt, verùm & Eminentiſſimus CARDINALIS NUNTIUS, Legatiq; Imperatoris. Optimus Orator, qvia ferro rigentem ad caſtra moviſti auditorem. Itum eſt Viennæ in ſuppetias, qvæ obſidione cincta diu fulminales ſuſtinuit machi-

ad conferētias cum Nūtys Apoſtolicis, & Imperialibus Gallicus, Sveticus, Brandeburgicus Legatis.

Deputatus à Rege Sereniſſ. ad reducendos in gremium Eccleſiæ Epiſcopos & Abbates Ruthenos, id ipſum feliciter efficit.

Epiſcopatus Luceorienſis eidem cofertur, ad quem Nominatus exiſtens ſacrum fædus concludendū perſuadet.

Suppetiæ Viennæ feruntur, cujus expugnatio describitur.

nas, validosq; Turcarum assultus. Mœnibus clausi incolæ frigebant penes ferreã grandinem insolito conglaciati metu. Pyrio pulvere prægnans tellus igneos fætus edidit, qvi vix nati, & jam in magnificis ædibus liberè grassabantur. Veriùs dixerim nitratum Mulciberem ex suis cuniculis terræ vomitorium dedisse, qvod ingentem adeò illi nauseam movit, ut crebris ejectationibus viscera etiam effundere cogeretur. Adfuit tum molesta tormina passæ Civitati Invictissimus LEOPOLDUS, cum Serenissimo JOANNE Rege Poloniæ Potẽtissimo, Maximiliano Electore BAVARO, CAROLO Lotharingiæ Principe, Duce Saxoniæ bellicosissimo. Viennam caput Austriæ vix non crepans præ magno dolore (qvamvis Austriacâ optimè stringeretur Fasciâ) colligatio armorũ persanavit. Profligata barbaries egregijs Triumphatoribus ad plantas corruit, in uberem solutus fletum Vesyrus fugam adornavit, dolens qvodammodo, qvia pulchro sociatos fædere victores non adoravit. Sepulta feralibus bustis urbis pomæria mæstos excussère cineres, ignitis dolonibus conqvassatæ turres insolenti tremore febricitare desierunt; novo lætitiæ plausu templorum statuæ risere, qvæ non pridem inter flammarum æstus liqvescentes aureis argenteisq; lachrymis suam videbãtur sortẽ deplorare: Divorũ delubra fumoso nigricantia peplo festiviorem induerunt vultum, ubi refractis à Serenissimi Poloniæ Monarchæ Umbone radijs illustrata atram deposuère fuliginem. Ad Strigonium qvoq; Tauricanæ gentis robur militis nostri hastifragio convulsum turpiter concidit: hausta Danubij fluctibus barbarorum colluvies suæ temeritatis pœnas lugebat sub aqvis. Tuus dicendi

Defensores Viennæ eãdem obsidione liberãt, hoste profligato.

Ad Strigonium partim cæsa, partim Danubio hausta barbaries.

fer-

Fervor ILLUSTRISSIME ANTISTES Polonorũ accendit pectora, ut junctis viribus capitalissimũ Christianæ fidei hostem profligarent. Feliciter effecisti, ut Sarmatica ales Imperiali sociata Aqvilæ, Orientales struthiones Scythicasq; harpyias falcatis ungvibus discerperet. Tuam Pastoralem curam in Episcopatu Luceoriensi exoculatus etiam livor suspexit. Unum adamavit luna Endimionem, qvi alto semper gravatus somno sterteret: Tua Cynthia vigiles tantùm amat animas, inter qvas & Tu vigilantissimusCustos numeraris. Nemo unqvã somnolentus bene gubernare potuit, nam ejusmodi rectores non hominum capita, sed papaverum esse putantur, qvæ alijs etiam soporiferum propinare sciunt, né insomnes agant excubias. Excussisti aut potiùs expunxisti soporem gemina cuspide bicornis infulæ oculatissime Pastor, inconnivâ prospiciens palpebrâ gregis sui indemnitati. Rapaces lupi timebant invadere Christi ovile, qvia Te perspicassimum lyncem adverterunt. Exantlatos à Te labores in illa Diœcesi qvis supputare audeat? illãCleri reformationẽ svavissimis institutã modis, Diœcesanã Synodũ Brestæ celebratã, editos in lucẽ libros pro utilitate sacerdotalis & sæcularis statûs, qvorum alij raram ingenij subtilitatem comprehendunt, alij irrefragabilem complectuntur veritatem. Ita Ezechieli adamantinum os ipsoq; durius silice datum desuper sacra ostendit pagina, né scilicet mollia loqveretur, aut sericea verba proferret. Illæ Tuæ institutiones Catecheticæ, & Antidotum Sarmaticum contra perniciosas Cleri cuiuspiam novitates, Grammatica Christiano-politica, Orationis Dominicæ Commentaria, obligationes omnium statuum, Delineatio

Vigilantissimus in sua Diœcesi Pastor.

Svavissimis modis Clerũ reformat.

Brestæ Diœcesanam Synodum constituit.

M

atio vitæ temporalis inter umbras humanæ displicentiæ. Non indigebas surrogatorum operâ totam Diœcesim in Tua visitans Persona, totq; in locis pro sanctiori suggestu disertè perorans. Si op⁹ erat inter mella facundiæ penetrabiliores verborum aculeos vibrâsti in depravatos hominum mores. Qvid enim loqvaces in Dodonea qvercu columbæ efficient sine felle? interdum adversùs insolentes bilis movenda, contra malitiam fulminibus subinde detonandum. Nemini ordinando præproperè manum imposuisti, anteqvam de vocatione ad statum spiritualem probè conscientiam, & scientiam perpendisses. Et certè non cõvenit muta altaribus admovere idola, aut pulchrioribus spolijs ornatos sine capite truncos. Superstitiosa tantùm antiqvitas penes Deorum delubra redimitos coronis statuebat iuvencos; at verò sacerdotale ministerium coronatos boves longè ab aris removeat necesse. In stabulo tantùm infans Deus famulantem sibi asinum habuit, sed non ad altare. Alta hæc mysteria nemini concedenda, nisi cum JOANNE totum deglutiat volumen, verè librorum helluo dicendus. Qvid ultra memorẽ? qvàm intrepidus assertor statûs Ecclesiastici extitisti, præsertim Episcopalis dignitatis, Sanctæ Sedis Apostolicæ ardentissimus zelator, dicto scriptoq; approbante Tuas fidei defensiones summo Pontifice INNOCENTIO XI. feliciter moderno, qvæ toties in exteris sunt reimpressæ, nec ab adversarijs refutatæ. Qvàm dextrè hæreticorum dogmata potentibus argumentis confutâsti, vel etiam perturbati capitis mirabiles chimæras aut hirco cervos elusisti. Neq; illud silentio premere licet, qvot & qvantos patronos à Serenissimo Electore

Visitat ipse Diœcesim, & concionatur.

Ordinandos examinat.

Fidei defensiones Illustrissimi Episcopi multoties in exteris reimpressæ, & à summo Pontifice Innocentio XI. approbatæ.

ctore

ctore Brandeburgico habuerit fanum Węgrovien- *Fanum Węgroviense aperiri non permittit.*
se Lutheranum & Calvinisticum, ut Tuo consensu
recluderetur, nullum tamen sortitæ effectum instantissimæ eorundem preces, qvia Acatholicam Ecclesiam sub clausura tenuisti. Bene eqvidem antrum illud septicipitis hydræ (hæresis inqvam) reserare vetâsti, né contagiosa peste afflaret fideliũ pectora; optimè basiliscum hunc in spelunca sua delitescere fecisti, né venenosa oculorum luce intoxicatos homines enecaret. Nonné evidens est argumentum irreqvieti Tui laboris, qvòd una die ter mille hominibus Confirmationis Sacramẽtum contuleris, nosocomia & publicos carceres sæpiùs visitaveris, non sine consolatione incarceratorum, ubi tot egenis veluti qverulantibus cicadis aureum munificentiæ rorem propinâsti. *Nosocomia & carceres visitat, largas in egenos profundens eleemosynas*
Præceps Tua manus fluvios superabat Iberos aurea dona vomens. *Claudianus* Nemo à Te recessit, qvin se beneficijs obæratum agnosceret. Addensatæ mendicabulorum cohortes ceu apum examina circa Te mussitabant, qvæ dulces profusæ liberalitatis favos nunqvam exsuxisse potuerunt. Magis profectò liberalem credo, qvi pluribus, qvàm qvi plura largitur. Præterea in recusandis dignitatibus Tua modestia ut plurimùm relucet, nam ad Sigillum Regni à Serenissimo Rege ternis vicibus palam designatus, alijs honorem, Tibi obseqvium erga Principem eligere maluisti, *Sigillũ Regni à Serenissimo Rege sibi collatum recusat* imò à Sacra Majestate secretiori vocis oraculo ad eandem Regni Signaturam solicitatus, reverenter huic oneri humeros subtraxisti, testatus Regis Regum ministerium debere Te omnibus alijs anteponere, maximè verò cùm sat curis Senatorijs, sæcularibusq; negotijs ad qvadragesimũ

 septi-

ſeptimum ætatis annum ſatis naviter inſudaveris. Alio Te Divinior ſpiritus avocabat, ac proinde cœleſtem hanc Columbam pro ſignatoria Aqvila corde non manibus tractare volebas. Ita parum eſt cupidine titulorum non arſiſſe, ſed ne frigido paſſu ad eosdem progredi decumanum omnino opus. Pulchriorem in vultu geſtat purpuram erubeſcens honorarios faſces transfuga, qvàm ſi dibaphum humeris portare muricem. Nulla impietas eſt, imò ſumma religio templum honoris nunqvam ingredi, magna devotio nec limina illi tangere. Rariſſima polities magnæ fortunæ terga vertere, qvæ libenter frontem aſpicit, ut in illa legere poſſit, qvid animo volvamus. Fugax fera dignitas avidis venatoribus in caſſes rarò incidit; ſui verò contemptoribus ultrò manus involat. Ideòq; magnum generoſitatis ſpecimen dediſti ILLUSTRISSIME ANTISTES, qvòd altiori titulo nuntium remiſeris, nempe ſigillatrici ceræ nō inhærens tenaciori animo. Mille demùm encomijs digna Tua in ſplendido Purpuratorum Qviritum conſeſſu effata verè Chriſtianopolitica, Eccleſiaſtico referta ſpiritu, vox libera ſine aculeo, & ſcommate, ſacræ paginæ authoritati, teſtimonijs Sanctorum Patrum, optimisq; innixa exemplis, nō Taciti, vel Lucani dicterijs, aut alicujus profani ſcriptoris opinioni infundata. Plerumq; metricis Poëtarum pedibus conculcatur innocentia, graviorem ſæpe cæſuram fama, qvàm verſus patitur; Rhetoricis fontibus omnis abſorbetur juſtitia, cornutis Philoſophorum argumentis expungitur veritas: at lingvæ ſincerioris eloqvio omne bonum augetur, præſertim verò publicum novis in dies aſſurgit incrementis. Sæpiùs facundiori lingva plu-

In Senatu gravia illius oracula ab omnibꝰ æſtimabantur.

plumis leviora evolant oracula,qvaſi inter Deorum pulvinaria naſcerentur : Tuꝰ dicendi modꝰ magnã ſapit gravitatem, qvoties audientium judicio ponderatur: & qvod majus eſt,nullum Senatûsconſultũ vel Comitia, nec Seſſiones omiſiſti,magno ſanitatis & fortunarum diſpendio ; hæc omnia pro lege & Rege impendens,creditis ſibi à Deo talentis ita uſꝰ, ut nunqvam inertis deſidiæ ſarculo in terra defoderentur. Tuum erga patriam amorem tacere non poſſumus, qvi in obſeqvio Reipublicæ à primo ſacri belli exordio eqveſtrem militum cohortem ſuſtentat. Nunqvam poteſt eſſe melius ditioris fortunæ diſpendiũ,qvàm in boni publici defenſionem: ex tali namq; bonorũ dilapidatione Caucaſo firmiora bellicoſo ſtratiotæ formantur pectora. Hoc unicum patritiæTuæ Lunæ defuit,ut cum ſua Sagitta in arcum abiret, nempe belli nervus,qvem illi egregiè illigâſti. Non ſterili damnatur arenæ aurea beneficiorum ſementis, ex qva pullulat clypeata virorum ſeges,chalybeq; rigentes heroûm manipuli cõſurgunt. Citiùs Mars ab ejusmodi Aurelianis aureis capitur retibꝰ,qvàm ferratis Vulcani caſſibꝰ innodatur. Multi ſangvinem Reipublicæ minuunt , (pecuniæ hæc nomenclatio) imprudentes omnino archiatri, qvia auream ſemper aperiunt venam turpi avaritiæ phlebotomo : Tu plùs huiusce ſangvinis patriæ affudiſti, ut diutiùs vegetior , & incolumis vivat. Adeòq; penes Te IOANNEM agnum cernimus , ſed aureo micantem vellere , qvi militantes Marti lupos procul fugare didicit. Reliqvam virtutum ſeriem per omnes vitæ Tuæ annos diſperſam ſubſeciva calami tenuitas comprehendere neqvit , ſatis proinde erit aliqvas illarum delibâſſe. Magna Tua ſupremorum capitum reverentia omnium ſibi

In obſeqvio Reipublicæ eqveſtrẽ militum cohortem ſuſtentat à primo ſacri belli exordio.

Magna eiusdẽ reverentia ſuperiorum in Republ. capitum.

conciliavit animos, ut qvò profundior ijs à Te daretur veneratio, eò altior de Tua ſubmiſſione creſceret opinio. Unde acriorem ſæpiùs ſtringebas pennam adverſus Theoninos detractorum dentes, qvos aureo regnantium pomo altiùs infigebant, pretioſis adeo non ſaturati bellarijs. Et ipſe procaces Zoilorũ lingvas æqvanimiter tuliſti, non ignarus

Detractionum tolerãtia. gẽtilitiæ Tuæ Lunæ illorũ latratus minimè obfuiſſe. Volebant offundere caliginem claritati Tui generis invidiæ nubes, at Tu aureo gratiarũ imbre easdẽm tumentes effeciſti, in ultimo ſortis iniqvæ declivio poſitos cavillatores munificæ manus ſublevans con-

Fuga adulationis, & cupiditatis. giarijs. Adulationis venenum Tuam non intoxicavit mentem, qvia illibato candore omnium merebaris affectus. Qverulantem Te de fortuna nemo audivit, nam plura aſſeqvendi ſtudio non laborâſti, bene edoctus cupiditatẽ deviã peregrinari, & tantò longiùs à ſuo fine diſcedere, qvantò procedit ulterius. Talibꝰ ac tantis virtutũ gradibꝰ ad POSNANIENSẽ iviſti CATHEDRAM ANTISTES ILLUSTRISSIME. Ergo bonis avibꝰ eandem conſcende, qvia præduce Filio Columbæ, Petro, Venerabili Capitulo Poſnanienſi pro Stemmate militante. Poſt coronatũ Illuſtriſſimi STEPHANI WIERZBOWSKI nomen gratioſus JOANNES ingredere feliciter tertia jã vice Infulati honoris theatrũ. In gentilitijs Poſnaniæ Turribꝰ fama tubicinã agit, feſtivo Tibi applaudẽs clangore. Præſens ſpectatorum corona effunditur in plauſus, qvia undiq; grata pectora ſtimulos habẽt ad lætitiã, ſcilicet à Lunæ Tuæ cornibꝰ, & acutiori Sagittæ cuſpide, habent in gemina Stella flãmeum calcar ad tripudia. Nos verò abſentes ſolẽne illud Eccleſiæ votum Tibi apponimus. Vive AD MULTOS ANNOS.

